

www.e-rara.ch

**Historia Olai Magni Gothi Archiepiscopi Vpsalensis de gentivm
septentrionalium uariis conditionibus statibusue :**

Magnus, Olaus

Basileae :, Anno M.D.LXVII [1567]

Stadtbibliothek Schaffhausen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-146188>

Liber XXI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

pellatur, quoniam arbores infixus radici necat, arma ut telum perforat ui ferri, & ueneni malo. Præterea stella marina adeo est uenenosa, quod omnia in mari contra cta adurat, omnemque cibum statim peragat. Ctesias in Armenia scribit esse fontem, in quo (ut supra eod. lib. relatam est) nigri pisces, qui in cibis illico mortem afferunt. Horum denique uenenatorum piscium Seneca lib. 3. nat. quaest. meminit. Insuper pisces differunt, quod alij animal generant, qui uiuipari ab Aristotele appellantur: alij oua pariunt, ac ouipari dicuntur. Animal, ut delphini, balenæ, & reliqua cetorum genera, quæ non branchias, sed fistulam habent: quibus adduntur pristes, bores, ac uituli marini, quorum maximam copiam in sinu Gothico enumerauimus. Nullum ex his oua habere cernitur, sed statim foetum, ex quo redacto in formam animal constat: quemadmodum homo & quadrupedes, quæ animal pariunt. Oua uero pariunt omnes, qui squamis teguntur, ut salmones, carpiones, prasinæ, mugiles, lupi, & qui candidi appellantur, & qui leues, & reliquaque genera infinita: præterquam anguille, qui scopulis se atterunt: ea strigmenta uiuiscunt, nec alia est earum secundum Plin. procreatio. Quidam pisces ab humanorum unguium similitudine dactyli appellati. His natura in tenebris remoto lumine, alio fulgore clarere concessit: et quanto maiorem humorem habent, tanto clarius in ore mandentium lucent: in manibus splendent, atque etiam in solo, ac ueste decidentibus guttis. Denique differunt inter se pisces, quod alij mutuam amicitiam colunt, alij pro diuersitate temporis inimicitiam fouent. Mugil & lupus mutuo odio flagrant: conger & muræna caudas inter se prærodunt. Nigidius autor est, prærodere caudam mugili lupum, eosdemque statis mensibus concordēs esse. Amicitiam e contrario maximam balena & musculus inter se colunt, quando obrutis eius oculis prægrauis superciliorum pondere, infestantia uada prænatans magnitudinem eorum demonstrat, oculorumque uice fungitur. Plures piscium differentias qui uidere uelit, uideat Aristotelem s. 8. & 9. lib. de Animalibus, & Plin. lib. 9. ac de ingenijs & mansuetudine eorum lib. 3. 2. cap. 2. Hinc monstrorum

in mari uiuentium naturas prosequemur.

LIBRI XX. FINIS.

OLAI MAGNI GOTHICI
ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE PISCIBVS
monstris

LIBER XXI.

PRAEFATIO.



ADMIRABILE spectaculum uastus Oceanus in suo gurgite cum cæcis nationibus offert: diuersos partus ostendit, hosque non tam magnitudini & comparatione siderum mirabiles, quam forma minaces adducit, ut nec cælo, nec terra, aut eius uisceribus, aut domesticis, instrumentis aliquid abscondi uideatur, quod non adsit in sua profunditate reconditum. In eo namque Oceano tam lato, supino, molli, ac fertili accremento accipiente semina genitalia, sublimi semperque pariente natura, pleraque esse monstrifica reperiuntur: quæ perplexis, et in semet aliter atque aliter nunc flatu, nunc fluctu conuolutis, ex se

Tt 2 acalijs

atq; amplius cæteris immixtis coalescere deprehenduntur, Aegyptiacis Nili piscibus non dissimiles, qui post annum à semine sparso, & in limo recedente aqua relicto, accessu redeuntis aquæ quasi infinita multitudo reuiuiscunt. Quidam etiam semen exenterando pisces receptum, in humido loco per hyemem custodiunt, ut tempore propagationis post uernale æquinoctium in aquas emittant. Verum statim in aquas haud proijciunt, eo quod à piscibus famem patientibus, ob pigritiam quærendi uictus, illico deuoraretur, prout plurimi tam malignæ naturæ sunt, ut uel propter præmissam rationem, uel odium proprii germinis augendi, uel luxuriam (ut in terrestribus animalibus dictum est) continuandam uorent proprium semen. Hoc autem tam fertile genus, nisi in tam infinita multitudine in stat grani papaueris, uel milij, infinito numero de uno pisce emitteretur, non posset coalescere in aquis ad sustentandam humanam uitam. Cui optimè, sed temperatè natura subuenit, ut ubi sint homines uoraciores, ueluti in terris frigidis gelu cito urente & consumente) ibi prouidit de maioribus beluis marinis: ubi uerò graciles morantur populi, pisces ordinauit tenuiores.

De differentia multiplici Piscium, ac Piscibus uenenatis.

C A P. XXXII.

Quoniam in hoc præsentì tractatu de uario ac multiplici genere piscium, qui in Septentrionalibus oris maiori in copia, quàm alibi, propter frigus ætherum occurrunt, egimus: antequàm monstra marina adiungantur, etiamnum differentiam eorum longè diuersissimam, quanquàm ferè omnes in aquis degant, paucis inferendam esse duximus. Ac primum quidem quoddam monstrosum genus piscium est, in littoribus Noruagicis stupendæ magnitudinis, similitum illi, quod Plinius balenam appellauit, quaternum iugerum: de quo genere in sequentibus lib. latius agemus. Quædam genera piscium differunt secundum tegumenta. Alia enim corio & pilis teguntur, ut uituli marini, hippopotami, canes marini: alia corio tantum, ut delphini: quædam uiscosa pelle, ut anguille, borbochæ, capitati, tenchæ, quorum omnium ingens copia apud Septentrionales populos: quædam squamis, ut salmones, præsni, & eius generis similes, quos Plin. pisces uocat: alia aspera cute ut squatinæ (qua lignum & ebora poliuntur) passerres, raia, perca: alia molli, ut murenæ, oculata, truta, & similes. Estq; hæc differentia inter pisces, ut alij alibi principatum obtineant: coracinus in Aegypto: zeus, idem faber appellatus, Gadibus: circa Ebusum salpa, obscænus alibi, & qui nusquam percoqui possit, nisi ferula uerberatus. Huius usus frequentissimus est in Septentrione, ac uulgarì Gothico Stockfisk appellatur. Differunt præterea pisces, quod alij sunt plani, ut passerres, pectines, raia, rhombi, solea: alij longi, ut anguillæ, congridi, lamueta, murenæ, oculata. Inter planos aliud est genus cartilaginem, non spinam habens, ut oculata, pastinaca, squatina, raia, quæ in maxima multitudine in Septentrione ubiq; capiuntur: & huius generis sunt, quos Græcia bouis, lamia, aquila, raræ nominibus appellat. Tales etiam in Borysthene flumine Russiæ esse Pompo. Mela tradit. Pisces quidam pro diuersitate temporis mutant colorem, ut marenæ, quæ hyeme candidæ, & æstate nigriores existunt: phycis omni anni tempore candida, uere uaria. Quidam in hoc à cæteris differunt, quod in aquis uolitant, ut hirundo, sanè perquam similis uolucris hirundini: item miluago, qui quoties extra aquam uolare cernitur, tempestates mutantur. Trebius Niger tradit, loligines tanta multitudine ex aqua euolare, ut nauigia demergant. Piscium quoq; genus quoddam est uenensum, ut lepus marinus, colore tantum lepori similis, qui in Indico mari etiam tactu pestilens, uomitum dissolutionemq; stomachi protinus creat: araneus æquè pestiferus: uerū hos duos longè superat uenenosissimus radius, qui alias pastinaca appellatur.

secum comportatis. Locus autem, ubi frequentius hanc piscaturam exercere solent, inter Noruegiam & Islandiam situs est. Neque hi piscatores, dum tempestates sauiunt, in anchoris manent, sed fluxu refluxuque maris fluitando piscantur, donec naues sint undique plenae. Sola autem eis salus in repetendo littore indicio gnomonis nautici consistit: quia per hunc ortus uentis, quo iter suum dirigant, agnoscunt. Estque notatum, quotiescunque extrahuntur à mari monstriosi pisces leonina, uel humana facie, & similibus, quod semper discordiam, & bella in terris portendant.

De periculo Piscatorum, & qualitate Piscium.

CAP. II.

NEcleue periculum illis ipsis piscatoribus imminet, quando hamis attrahunt maximae fortitudinis, molis, ac 12. pedum longitudinis pisces, ut sunt rhombi, squatinae, & reliqui pisces alati: qui cum apparuerint ab aquis extrahendi, saepe piscatores in mare retrahunt, nisi se funibus firmati in naui antea praemuniant, aut mutua ope hoc in labore sibi inuicem subueniant. Qui uero felici uento tantis maris periculis superatis, nauibus piscosis ad littora propria appellant, pisces extractos purgatosque, integros uel in partes diuisos, salito liquore conspergunt: sole flatibus asperimis, frigore, atque aeris rigore ad siccandum exponunt: tum in excelsas quasi lignorum strues componunt: quas in naues uicissim collocant, atque ad celeberrimum totius Noruegiae emporium, Bergen nuncupatum, pro rerum commutatione, aut pretio distrahendis exportant. Et hinc uerius hoc genus piscium Bergerfisch uulgaris gentis idiomate uocatur, & non Stockfisch à fuste, uel baculo ut mollior ad coquendum fiat pluries fustigatus. Non tamen uno eodemque genere hic Bergenfis piscis, sed quantitate, uel bonitate aestimatur. Nam aliud est genus longioris quantitatis, asellus dictus: cuius uentres in bicubitales ligulas instar funium abscisos, & aëre desiccatos, quasi longè delicatesiores cibos Aquilonares eligere, & uendere solent, Roedscher dictos. Similiter & extremas caudas eorum piscium in magnis uasis ad quæstum, siue delicatam escam reseruant, quas Spore Germani uocant. Præterea ex uentre rhomborum etiam fiunt ligulae cubitales uel bicubitales, sed latiores alijs, ualde pingues, quas incolæ Raff uocant: eisque pro pane & obsonio utuntur. Fortibus enim hominibus iste cibus conuenit, non delicatis: ferè eius saporis est, ut semper piscium induratum, Italicè Bottargi dictum: sed illae longè pinguior. Capitibus horum piscium loco lignorum pro cibis coquendis utuntur incolæ Noruegiae. Capititur etiam in littoribus Noruegiae, præcipue in scopulis Asloënsibus, quidam piscis in maxima multitudine, Makreel dictus, sale sufficienter conditus optimus, & sine sale pessimus.

De Piscibus Islandiae.

CAP. III.



EST & alia piscium distinctio & qualitas, qui in Islandicis aquis infinita multitudine ab incolis illius loci capiuntur, molliori scilicet carne, & longitudine ab istis, quos in superiori cap. introduximus, differentes. Præterea aselli, rhombi, utuli marini, merlusia, Gothice Torsck appellata: inter quos balenæ, pristis, atque alia monstra marina apparent: quorum indomabili immanitate miræ aquarum turbationes excitantur. Pisces uero electiores ibi capiuntur.

T. 3 pri, ab

ac alijs principijs generare formas uidentur, ut quicquid nascatur in ulla parte naturæ, etiam in mari esse nobis persuasum habeamus, & perquam multa alibi nusquam reperibilia, ibidem inueniri. Nec solum animalium simulachra mari inesse licet intelligere intuentibus, sed uiam quoque in eo gladium, ferras, equorum capita in paruis cochleis eminere. Præterea spongas, urticas, stellas, lamias, miluos, monachos, uaccas, lupos, erythinos, spondylos, mures, passeris, merulas, coruos, ranas, phorceos, boues, arietes, equos, asinos, canes, locustas, uitulos, arbores, rotas, cantharos, leones, aquilas, dracones, hirundines, & similes. E quibus quædam beluæ in terram exeunt, pastæque radices fruticum ac satorum remeant: quædam Australi, & quædam Aquilonari uento hausto impinguescunt. Sunt & beluæ in mari quasi hominis figuram imitantes, lugubres in cætu, ut nereides: etiam marini homines, toto corpore absoluta similitudine, qui ascendere nauigia nocturnis temporibus uidentur: statimque degrauari quas insederint partes compertum est, & si diutius permanent, etiam ipsæ naues merguntur. Imò per fidelem Noruagicorum piscatorum assertionem addo, nisi tales capti illico dimissi fuerint, adeò saeva tempestas exurgit cum horrido planctu eius generis hominum, ac nonnullorum aliorum monstrorum, ut cælum ruere uideatur: piscatoresque uitæ suæ uix etiam summo labore succurrere, multò minus piscibus insidiari poterunt. Quocirca in tali casu piscaria lege cautum est, & obseruatur, ut monstri piscis taliter attracti, secundum figuræ uarietatem illico abscisis hamatis funibus dimittantur. Atque his paucis à nobis adductis de uarijs piscium, ac monstrorum in mari existentium generibus non contenti, uideant latius Plin. lib. 32. cap. ultimo, & Ambros. lib. 5. Hexamer.

De Piscatura periculosa in Noruegiano Oceano.

CAP. I.



Periculosa piscatura in Noruegiano Oceano ob multiplices rationes dicitur, quia in aperto mari longissimo tractu à littore committitur. Diris tempestatibus ortis, celerrimè piscatores fluctibus obruntur: tum fluitante mole maxima glaciærum disperguntur: balenarum monstrorumque pugna in diuersa diuiduntur: denique horribili quorundam piscium seu monstrorum è gurgite extractorum forma, & attractu in manibus eneruantur, ac nisi eos prout supradictum est in præfatione) illico dimiserint, mota tempestate suffocantur. Si igitur quidam piscatorum temerarij certamine commissò cum belua, eam intra nauim (circullati hominis formam habentis) induxerint, mox ululatu & strepitu socialium bestiarum obruti, nec hamos ad capturam piscium proijcere, nec remis laborare, uixque uela pro fuga arripienda, nisi monstrum dimiserint, expandere queunt. Hæc monstra etsi æquè atque pisces electi (salpæ communiter dicti) in retibus apparuerint, tanquam inutiles eijciuntur, sed electi in nauis reseruantur, magnoque uenduntur lucro, tum in loco ubi capiuntur, tum in uicinis regnis, ac ultimis Germaniæ oris. Plura millia piscatorum in pagis extremæ regionis Noruegiæ habitant, Andanes, Trondanes, Duuanes, Gamblauick, Nyauick dictis, & alijs circumiacentibus terris apud VVardahus, idest castrum, siue Domum præsidij totius regni. Mense Februario, & Martio, imò & Ianuario, robustis nauibus horum locorum incolæ piscandi gratia à littore in altum uadunt, quantū scilicet intra biduum nauigando conficere possunt, rebus necessarijs ad uictum 20. uel 30. dierum spatio secum

De horribilibus Monstris littorum Noruegiæ.

CAP. V.



Sunt monstrosi pisces in littoribus, seti mari Noruagico, inusitati nominis (li cet reputentur de genere cetorum) qui immanitatem suam primo aspectu ostendunt horroremque intuentibus incutiunt, tum in formidinem diutius conspicientes pariter & stuporem uertunt. Horribilis etenim formæ sunt, capitibus quadratis, undique spinosis, & acutis, ac longis cornibus circumdatis, instar radicis arboris extirpatae: decem, aut duodecim cubitorum longitudine, colore nigerrimo, prægrandibus oculis: quorum ambitus 8. uel 10. cubitos excedit: pupilla uero unius cubiti, rubeum & flammeum colorem referens, qui à longè in tenebrosis temporibus inter undas, ueluti ignis accensus, piscantibus apparet: pilos, ut anserinas pennas, spissos & longos, in modum dependentis barbæ: reliquum uero corpus ad magnitudinem capitis (quod quadratum est) ualde pusillum, cum ultra 14. uel 15. cubitos in longitudine minime habeat. Vna harum beluarum plures naues & grandes, fortissimis nautis confertas, facillime subuertit, aut mergit. Huic admirandæ nouitati idoneum testimonium perhibet longa, ac clarissima epistola Erici Falchendorff, Archiepiscopi Nidrosiensis Ecclesiæ (quæ totius regni Noruegiæ metropolis est) Leoni 10. circa annos salutis M. D. XX. transmissa: cui epistolæ annexum erat alterius cuiusdam monstri horrendum caput, sale conditum. Meminit etiam Plin. lib. 9. cap. 33. pectinum ungues in tenebris etiam ore mandentium mirè lucere, & dactylorum: de quibus eodem lib. cap. 61. Totum igitur caput huius beluæ, cornibus instar durissimi corij circumdatum, ualde graue est, quia natura sic fortè instituit, ut citius mergatur: nec alibi maior naturæ lasciuiæ: lussit enim in cornibus ac armis animalium, ut Plin. lib. 11. cap. 37. testatur, & Perottus in lib. quem Cornucopiæ intitulauit.

De Physeteræ, & eius in nautas crudelitate.

CAP. VI.



In genere cetorum physeter siue pristis, ducentum cubitorum, seueram admodum cōsecutus est naturam: in perniciem enim nauigantium plerumque ultra nauium antennas se extollit, haustosque fistulis fluctus supra caput collectos ita eructat, ut nimboſa alluuiæ plerumque naues fortissimas deprimat, aut maximo periculo nauigantes exponat. Nec mirū: pristis enim (teste Vincētio) est belua tãtę altitudinis, ut attollens se super fluctus, ingentis colūnæ similitudinem referat: altiusque ueluti diluuium quoddam eructans, nautas pauefacit fluctuantes: cuius calamitosæ rei testimonium Strabo lib. 15. de illo magno Nearcho bellicæ classis Alexandri Magni præfecto, affert, dicitque: Physeterum magnitudines fluctum maximum, & accumulatum, & caliginem tãtam reflationibus excitant, ut quæ ante pedes erant, conspici nō possent. Sed cū nauigationis duces illis fl

Tt 4 mentibus

pti, ab Italis & Hispanis Marlucz, in Romam usq; etiam per Hispanos, aut Lusitanos delati, appellantur. Tempus capturæ eorum est in Februario, Martio, & April: piscesq; capti frigidis ventis exiccantur, ac demum in apertis campis, quasi lignorum combustibilium strues compositi, per mensuras longorum cubitorum, siue cannas Italica mensura, ad plura millia mercatoribus Germanicis diuenduntur, aut pro frumento, ceruisia, panno, & similibus in rerum commutatione distrahuntur. Si uerò pondere uendendi sunt, id ipsum in centenario, ac millenario numero, & æstimatione distincto fieri solet. Huiusmodi pondus uernacula eorum lingua VVaagh dicitur, ueluti apud Gothos, Suecos, & Germanos Schippunt communiter appellatum (300. maioribus libris constans) in ponderando obseruatur. Gentis huius quasi melior, & maior prouetus est in piscibus, propter quos, ut superiori lib. 10. cap. 15. dictum est, fiunt maximæ nauales pugnae inter diuersarum nationum mercatores: quia ad hanc insulam nauigaturi mercatores quæstus causa, non aliter se instruunt, quàm aliquod atrox prælium subeundum foret, ut in præallegato loco demonstratum uidetur. Præterea cum humanus hostis sufficere haud uideatur, occurrunt uastissimæ beluæ instar montium in magna multitudine, nauigantibus, nisi prospexerint, periculum illaturæ. Sed his inter alia remedia per clangorem acutę sonantis tubæ succurritur: cuius tinnitum eadem beluæ audiendo sufferre minus ualentes, ad gurgitem ac maris abyssum uicissim aufugiunt, prout infra de phylsetere ostendetur.

De mira abundantia Butyri Islandiæ.

C A P. IIIL

In eadem præterea insula Islandiæ tanta butyri saliti, ob pecudum multitudinem, & pascuorum ubertatem, reperitur copia, ut non sufficientibus uasis aut tonnis, cistas uel capsas ex odorifero ligno confectas, 30. uel 40. pedum longitudine, 4. uerò, uel 5. altitudine, quotannis pluribus in locis repleant, atq; in domesticum usum, imò & mercatorum commutationem conseruent. Piscibus enim tostis, huiusmodi butyro inunctis, loco panis frequentius utuntur: unde etiam Ichthyophagi appellati, prout inferius dicetur de structuris ex ossibus & costis marinarum beluarum. Capsæ autem huius abundantis butyri, reperiuntur in Abbatia Helgafiel gentis idiomate appellata: quæ in butyro, & piscibus siccis, quasi melioribus thesauris, est fundata, quemadmodum & duæ Ecclesiæ Cathedrales Scalholdensis, et Holensis, unâ cum nobilibus mansionibus plurimis, habentibus similem prouentum. Pro potu gens illa utitur exotica ceruisia, è ciuitatibus Germaniæ maritimis nauigio adducta. Præterea sunt apud eas gentes, fontes cerealis liquoris dulcedinem habentes, qui omni earum necessitati in bibendo, certa etiam cum delectatione, ac sano sapore subueniunt, quemadmodum in simili refert Solinus cap. 51. De Choaspi amne, inquit: Choaspes ita dulcis est, ut Persici Reges quamdiu intra ripas Persidis fluit, solis sibi ex eo pocula uendicant, & cum eundem foret peregrè, aquas eius secum uectitant. Ac cap. 46. de Euleo flumine, quod ortum à Medis tam puro fluore inclytum habeat, ut inde omnes Reges non alias quàm eius aquas bibant. De ichthyophagis similibus plurima Strabo meminit, etiam Plinius, Solinus, ac alij historiam mundi describentes. Hi autem Islandenses sani, iucundi, & liberales sunt: diu sine medicina, etiam supra centum annos uiuunt: facili causa prouocantur ad arma, ac bella, quæ satis crudelia gerunt: deniq; tam ad pedestrem quàm equestrem expeditionem in omni euentu cuncta disposita habent, ueluti superius lib. 10. cap. 15. ac alijs in locis extitit allegatum.

De hos

De inimicitijs, & amicitijs quorundam Piscium.

CAP. VIII.

SED neq; illa animalia aquatica à mutua infestatione sunt libera: & hoc propter quadruplicem rationem, uidelicet naturalem superbiam, cibum, coitum, & foetum, ut infra dicitur de balena & orca, atque hic de mugili & lupo, qui mutuo flagrant odio. Lupus & muræna caudas suas mutuò prærodunt, alioquin statim mensibus sunt concordēs. Polypum intantum locusta pauet, ut si iuxta uiderit, omnino moriatur. Locustam conger timet, rursus polypum congeri lacerant. Omnes autem uiuunt, etsi eis caudæ amputentur. Seneca in lib. Naturalium quæst. plurima adducit de certamine beluarum marinarum: & Alber. lib. 24. de animal. quomodo carabi ex genere cancrorum gregatim acie instructa, cum alijs aciebus generis sui pro pascuis, pullis, uel foeminis pugnant. Multis etiam generibus piscium conuenit amicitia naturalis, ut musculo cum balena: de quo Plin. lib. 9. cap. ultimo. Alijs in magna societate uiuere, ut haleci. Quidam separantur per se, ac solitarie degunt. Multis impossibile est alios admittre socios. Quidam diligunt seinuicem, quidam non. Omnes autem piscium greges rectorem habent. Loligines pugnaturæ turmis se muniunt. De animalibus inter se semper mutuas inimicitias fouentibus, Volaterran. lib. 25. & alibi multa dicit. De multiplici etiam generatione piscium Vincen. lib. 17. cap. 141. plurima annotat. Ponit & Volaterran. lib. 12. cap. De locis nuper repertis, quod Oceani monstra speciem equorum, uitorum, ac luporum præ se ferant, tum quod aduentu nautarum in littus exiliant. Mitem autem multorum animalium interpretationem adducit beatus Ambrosius in Hexameron lib. 5. ut unicuique attribuat aliquid boni, quo homo se, suosq; mores emendet. Quod uero in mari maiores bestiae sunt terrestribus animalibus, facit humoris luxuria, & alta profunditas, in qua & abundantia uictus est, et securitas euadendi pisces insidiantes.

De pugna Balenæ contra Orcam.

CAP. IX.



BAlena, etsi quantitate maxima, certum scilicet, aut 300. pedum longitudine, & uassissima corporis mole prædita, tamen orcam quantitate minorem, sed agilitate tam in saltu, quam aggressu crudeliorem, sibi infestam habet. Est autem orca similitudine carinae inuersæ, belua trunculenta dentibus, quibus ceu Liburnicarum rostris secreta baleng, ac uituli eius corpus lacerat, uel celeriter aculeato dorso discurret eam agitando, ut in uada littoraq; protrudat. Illa uero, scilicet balena, pondere uasti corporis ad flexum immobilis, ad repugnandum astutiæ orcæ iners, in fuga unicum præsidium collocat: licet ea fuga infirmior sit, eo quod ignaua belua pondere suo onerata, ad uada periculaq; euitanda directore indigeat. Vnde fit, ut eam longissimus præcedat piscis, colore candidus, quem Isidorus masculum balenæ, & Plinius musculum uocat, qui ob naturalem amicitiam beneficiū huiusmodi præstat. Dicit enim idē Plin. lib. 9. cap. ultimo: At è contrario amicitie exempla sunt, præter illos de quorum diximus societate, balena & musculus: quando prægrauis superciliorum pondere obrutis eius oculis, infestantia magnitudinem uada prænatans demonstrat, oculorumq;

mentibus, & causam ignorantibus indicassent beluas esse, quæ facile tubarum sonitu, & plausu exaudito discederent: (in quo Plinius concordat lib. 9. cap. 3.) Nearchus naues in fluctum egit, quâ maximè arcebatur, ac tubis beluas exterruit. Illæ undas subeuntes, nauale certamen à puppi minabantur, uerum subito cessauere. Quod & nunc in Indiam nauigantes asserunt, beluarum scilicet magnitudines, quæ nec gregatim, nec sapius se offerant, sed discedant clamore, ac tubis repulsæ. Hæc Strabo. Meminit etiam Petrus Martyr lib. 1. Crediti continentis, monstri, seu immanis cuiusdam piscis, qui circuiuit biremem, caudæq; ictu gubernaculum in frustra confregit. Idem asserit, monstrum marinum integrum uirum in littore dormientem ad mare rapuisse. Hircus, siue aries (teste Volaterano lib. 25.) rapacissima bestia est: quia homines & nauigia inuoluit, spiritu graui, & uehementi, quo sanè instrumento ad prædas utitur. Item aries marinus in mari (teste Plin. lib. 9. cap. 44.) grassatur ut latro. Et nunc grandium nauium in salo stantium occultatus umbra, si quem nandi uoluptas inuitet, expectat: nunc elato extra aquam capite, piscantium cymbas speculatur, occultusq; adnatans mergit.

De suffocatione nauium per monstrosos Pisces.

CAP. VII.



OS etiam hæc belua magnum & amplum habet, circulare, ueluti muræna, quo escam uel aquam fugit, pondereq; suo in proram, uel puppim iniecto & impresso nauim deprimit, et submergit: quandoque sola aqua (ut præmissum est) nocere non contenta, dorso, uel cauda nauim, ut minusculū aliquod uas, crudeliter euerit. Spissum, & nigrum corium habet in toto corpore, pinnas longas in forma latiorum pedum, ac caudam bifurcatam latitudine 15. uel 20. pedum, qua circunuectas nauium partes uehementius stringit. Verum malignitati eius remedio occurritur opportuno, tuba uidelicet militari (ut dictum est superiori cap.) ob asperum acutumq; sonum, quem ferre haud potest: & magnis, ac immanibus uasis, seu dolijs eiectis, cursum beluæ impredientibus, siue pro lusu ei oppositis: aut ualidis tormentis, seu bombardis, quarum sono magis, quam ferro, uel saxeo globo terretur, cum globus huiusmodi uel aqua, uel pinguedine obstante uim perdit, uel paululum uulnerat uassissimum corpus, immensa pinguedine instar ualli munitum. Paulus Orosius in uita Caligulæ asserit, anno imperij eius 5. in Theram, aut Theramnem insulam de profundo emicuisse beluam triginta stadiorum extensam spatio. Quod autem uariæ sint beluæ uassæ, & immanes in Oceano, satis examinatum reliquit Plin. lib. 9. cap. 5. inquiens: Tiberio Principe contra Lugdunensis prouinciæ litus in insula simul trecentas amplius beluas reciprocans Oceanus destituit, miræ uarietatis & magnitudinis: nec pauciores in Santonum littore. Imò & addendum erit, in Noruegiano littore frequentius, tum uetera, tum noua cerni monstra, maximè propter inscrutabilem aquarum profunditatem, uti superius lib. 2. cap. 12. est expressum. In profundo etiam maris multa piscium genera sunt, quæ nunquam, uel rarissimè hominum aspectibus præsentantur: quemadmodum præclari ciues Venetijs, qui in omni uita sua algam circumnatantem littori suo haud transierunt.

suspicati oppressum se iri, ingenti formidine teneretur, cum alias nullo affecti sint malo, tunc item & fluuius Nilus ultra 18. cubitos supra alueum ipsum ita elatus excreuit, ut sua inundatione præter solitum uniuersam irrigaret Aegyptum, quod nullo anteriori seculo accidisset. Ideoque hominibus stuporem, & animalibus exitium intulit admirandum. Per id tempus etiã cetus quidam marinus piscis (quem Porphyrium Byzantini uocant) mirifice capitur. Hic sane circa annum iam quin-
 quagesimum, ut Byzantinis ipsis, ita & finitimorum locorum tunc incolis infe-
 stior fuerat, non continenter, sed per temporis interualla. Nam & nauigia pleraque
 ad ima depresserat, multarumque nauium uectores ac nautas turbando, & uim inte-
 rendo longius disturbarat: cuius beluæ capiendæ magnum Iustiniano Imperatori
 studium fuit: peragere tamen, quod ei animo inerat, nulla hic potuit arte. Sed
 quemadmodum in capturam hæc belua uenerit, paucis ostendetur.

De captura huius Ceti, & magnitudine
 eiusdem.

C A P. XII.

ERAT fortè in summa tranquillitate tunc mare, delphinorumque grex ingens
 circa ostium Euxini ponti uno agmine confluebat: qui subito ceto illo con-
 specto, quocumque licuit, perugium habuere: pars tamen maxima ad Sagaridis flu-
 minis exitum sese ex fuga recepit. Cetus uero in eo tum primum delphinorum
 aduentu, nonnullos ex his, sed impruidos equidem uorauit. Siue itaque fame tunc
 detineretur, siue id ex certamine ageret, continenter, & tam diu fugientes hos in-
 sectatur, quoad tandem in continentem ex incurfu delatus, nec uolens quidem,
 profundiori se limo immergit. Vnde quibusuis modis eruere se connitendo, nullo
 potuit pacto limoso è loco exolui, sed quò magis enitebatur, eò & acrius limo se
 immergebat. Quæ res ubi ad circumiecti loci incolas passim est perlata, concursu
 undique facto, in cetum mox irruunt, securibus undeque, & crebris ictibus præci-
 dendo: neque hoc pacto conficere beluam potuere. Funibus demum preualidis col-
 ligatam, magna ui hominum extrahunt, & plaustris deuehendam imponunt. Cu-
 ius magnitudinẽ cum cura emensi, cubitis in longitudine 30. in latitudine 20. hæc
 esse comperibant: quam illi per cæcus partiti, ut cuique libuit, uel sibi sale conditam
 seruauerunt, uel fortè depasti mox sunt. Byzantini uero, siue terremotu pauesciti,
 siue Nili inundatione insolita moti, siue ceti prodigio ducti, futura statim animo
 prælagire, quæ de se fortè quisque excogitarat mortalium more: qui dum præsentibus
 molestiis opprimuntur, temere contemplando quædam futura prognostican-
 tur, prout cetum illum absumptum, à malis uindictam sumere præferebant. Stra-
 bo asserit lib. 1. uix ad Græcos balena maiorem beluam inueniri: & illa plerumque à
 ualidiore uoratur.

De monstroso Pisce in littore Septentrionalis Angliæ

M. D. XXXII. repetto.

C A P. XIII.

ET SI hæc monstrofa belua pro portento ab incolis illius regionis habita sit,
 atque cum stupore ob insolitam magnitudinem inspecta: attamen littora Nor-
 uegiana inter Bergensium, ac Nidrosiensium ora, quasi continuum domesticum
 quæ hospitem talem beluam habent. Ideoque locum hic inter grandioris maris in-
 colas obtinet, ea relatione, qua uerè descriptus erat à quodam nobili Anglicano,
 sub hac forma: Proiecit in arenam apud Thinemuthum, mare nostrum hoc men-
 se Augusto M. D. XXXII. mortuam beluam molis, & magnitudinis ingentis,
 quæ iam magna ex parte discerpta est, remanet adhuc tamen, quantum centum
 ferme

lorumq; uice fungitur. Ingreditur etiam arenam balena æstiuante sole, ibiq; uti uetus marinus profundè dormit, ita ut funibus alligata sæpius occupantibus cedat, ut idem Plin. eod. lib. cap. 19. dicit de exocæto, marino mure, polypo & muræna. Celetus (de quo Alber. lib. 24. de animal.) adeò graui somno opprimitur, ut manu dum dormit capi queat, quemadmodum etiam de rosmaro, siue morso, inferius dicitur. Deniq; delphini, balenæ, & quæcunq; fistulam gerunt, quomodo edita per summa æquoris fistula dormiant, apud Aristotelem lib. 4. cap. 10. de animal. requiratur.

De multiplici genere Cetorum.

CAP. X.

Multiplex est genus cetorum, quidam enim hirsuti, & hi maximi (ut Alber. attestatur) quatuor iugerum magnitudine: (iugerum uerò habet secundum Plin. lib. 18. cap. 3. in longitudine pedes 240. in latitudine 120.) quidam plane pellis, hiq; sunt minores, atque in Occidentali, ac Septentrionali Oceano capiuntur. Quod quatuor iugerum sint, Plin. lib. 9. cap. 3. & Solinus cap. 65. asserit: sed lib. 32. cap. 1. dicit Plin. cetos 126. pedum longitudinis, & 360. latitudinis in flumen Arabiæ intrasse. Quidam rictum oris habent dentatum, ac longissimum, uidelicet longitudinis 12. uel 14. pedum, ac dentes sex, uel octo, uel duodecim pedum. Duo tamen dentes canini cæteris sunt longiores, subrus sicut cornu ad modum dentium apri, uel elephantis. Hoc autem genus ceti habet os aptum ad manducandum: oculos adeò amplos, ut ambitus uniuscuiusque 15. homines sedentes admittat, imò 20. uel amplius, secundum beluæ quantitatem. Cornua præterea longitudinis sex, uel septem pedum, 250. super quemlibet oculum habet, cornea duritie, ad rigidam uel placidam, anteriorem uel posteriorem motionem, & uentilationem. Hæc simul coherant ad oculorum protectionem tempore tempestuoso, aut cum alia eum inuasit belua inimica. Neq; mirum, quòd tot cornua, licet satis molesta, habeat, cum inter oculos in fronte spatium est 15. uel 20. aut amplius pedum. Quantæ autem magnitudinis, aut longitudinis costæ, & ossa eius sint, aut in quem usum seruata prodesse queant, etiam pellis, caro, pinguedo, in sequentibus capitulis ostendetur. Similitudinem autem prædictæ orce, quæ lingua Noruagica Springhual dicitur, id est saltans, ab agilitate & celeritate, qua balenam urget, & eius secreta petit. Qui amplius uidere uelit, uideat Solinū cap. 45. de delphinis Nili, quorum dorsa ferratas habent cristas. Hi delphines crocodilos studio eliciunt ad natandum, demersi q; astu fraudulento tenera uentrium subternantes secant, & interimunt, ut astutia formidabilem beluam, scilicet crocodilum deleant, quam fortitudine nequeunt superare.

De crudelitate cuiusdam Ceti.

CAP. XI.



Cum Procopius lib. 3. belli Gothorum plurima de Totila, ac armis, & stragibus suo tempore in Italia perpetratis commemorat, uolui etiam huic proposito hoc memorabile portentum accommodare: quòd eadem tempestate, hybernoq; tempore, cum Byzantijs, & in alijs locis terræ motus facti, asperiores quidam & maximi, noctuq; omnes, atque adeò, ut qui ea incolerent loca, ruinis iam iam suspicari

modo, uti refert Strabo lib. I. Manentibus in statione frequentibus duorum remorum scaphis, speculator quidam communis supernè instat: duos singulæ scaphæ tenent: alter remigat, alter hastam habens manet in prora. Cum primum uerò speculator super eminentiam galeotæ signo indicat (beluæ uerò supra mare pars tertia eminens fertur) scapha propius appellitur. Deinde iacto manu telo, uulnus incutit. Tum euulsa sine cuspidē de corpore hasta, quod telum sanè est hamatum, ut educi faciliè queat, apteque infixo ei funiculo appenso, sauciata acclinat belua, donec agitata suffugiensque lassetur. Tunc in terram subducunt, aut intra scapham accipiunt, nisi prorsus immensum corpus existat: quod si in mare telum exciderit, haud sanè perit. Est namque uel è quercu, uel ex abiete compactum, adeò ut querna grauitate demersum, deinde in sublime relatum faciliè possit apprehendi. Contingit autem interdum & remigem in scapha per magnum galeotarum gladium uulnerari: cum instar apri beluæ uigeat impetus: asperimè fit ipsa uenatio. Hæc Strabo. Monoceros est monstrum marinum, habens in fronte cornu maximum, quo naues obuias penetrare possit, ac destruere, & hominum multitudinem perdere. Sed in hoc pietas diuini numinis natigantibus prouidit, cum ferox sit hæc belua, tarditas sua, quam habet maximam, preuisa, timentibus eius accessum fugam concedit. Serra belua similiter marina est, ingens corpore, caput habens cristatum, durum, sicut ferra dētatum: subter nauibus natans secat easdem, ut intrante aqua mersis hominibus, eorum cadaueribus satietur. Est & aliud genus serræ, se erigens contra uelificantes: quod mox 30. uel. 40. stadijs peractis, lassum descendit in mare. Orcarum gladio dorso tenus eleuato sepe piscatores uulnerati deficiunt: ita & loliginum tactu manum retrahunt stupefacti.

De modo piscandi Cetos, & Balenas.

C A P. XV.



Quia mira auaritia balena fertur in esum halecis, & uitulorum marinarum, tanquam piscium ceteris omnibus pinguiorum: idcirco sepius periclitatur in scopulis arenosis, qui maris æstu, siue fluxu, atque refluxu, quasi denudati ab aquis, immersæ beluæ exitum non concedunt, ut se recipiat ad gurgitē propinquiorem: unde tanto cum impetu fortitudine caudæ laborat, quòd fossa amplissima relicta, ueluti in nido ligata (obstantibus undique arenis) enatare non possit. Hoc cum piscatoribus innotuerit, turmatim accurrunt, funibus atque anchoris fortissimis (ne æstus reditu eos euadat) intra rictum oris, atque capitis spiracula, seu branchias, bestiam hanc ligant: magnæque manu, multiplicisque uiribus eam in littus attrahunt, uel ita constringunt, ut nulla etiam magna potentia in aquas resilire ualeat. Eoque casu feliciter aridente, diuisa præda, quisque regreditur ad alias domesticas occupationes, donec iterum occurrat similis, uel alius optatior quæstus. Sanèque in tempestatibus contingit, ut aliqua immanis belua, uel inimicæ bestiæ uulnerata, uel fatigata, seu cunctis uiribus destituta, uenatorum uel ad littus proijciatur, præda ut sit occupantibus eam. Verum ubi dubitatur quòd illi reditura sint uires, gladiolos, aut grandes acutissimosque tribulos sub latus quiescentis immittunt, ut ianguine impetuoso ferri motu effluente, uita destituatur. Accidit etiam, & quidem facilius, quòd beluam in arena ad obiectum solis profundissime dormientem, funibus & anchoris ita firment, ut in prædam uenantibus cedat.

V u De mira



fermè ingentia plaustra uix auehere poterunt. Aiunt, qui primum beluam uiderunt & uti poterant diligenter perscripserunt, longitudinis illam fuisse 30. ulnarum, hoc est pedum nonaginta: à uentre ad spinam dorsi (arenis immersam) spatium esse circiter octo, uel nouem ulnarum: certum non habetur. Nam 27. die Augusti ipse ibi affuit foetete iam belua, ut uix ferri posset foetor. Coniectant dorsum ipsius ad spatium trium ulnarum esse in arena immersum, quando quidem quotidie alluitur, & operitur fluctibus arenosis. Rictus oris longitudo sex ulnarum, et dimidiè: mandibula septem ulnas ac mediam continent: circuitus alicubi ulnae unius & dimidiè, alicubi minus: omnino sicut quercus grandis est. Triginta costas in lateribus habet, magna ex parte longitudinis 21. pedum, circuitu unius pedis & dimidiè: tres uentres, ueluti uastos specus: & triginta guttura, quorum quinq; prægrandia sunt. Habet duas pinnas: utraq; quindecim pedum in longitudine: uix poterant decem boues alteram earum abstrahere: Palato adherebant quasi laminae corneae, una ex parte pilosae, qualem iam unam uides supra mille. Non est fabula Polidore, sed res uerissima, quamuis non omnes unius magnitudinis. Longitudo capitis à principio usq; ad rictum, septem ulnarum. De lingua uariatur: maior pars censet septem ulnarum fuisse longitudine. Aiunt genitale ei fuisse prodigiosae magnitudinis: membrum (inquam) masculinum uir quidam cum dilaniaret, ferme submersus fuisset, in uentrem beluae cadens, nisi costa arrepta se sustentasset. Spatium inter oculos sex ulnas tenebat: oculi, & nares tanto corpori ualde impares, & quales bobus esse solent. Cauda bifurcata, & serrata, latitudine septem ulnarum. In capite duo magna foramina erant, per quae putatur beluam plurimam aquam, ueluti per fistulas eiecasse. Nulli deniq; illi fuere dentes: unde colligitur non fuisse balenam: nam balenis aiunt maximos esse dentes: exceptis laminis aliquot corneis, quae in ore huius piscis erant.

De Xiphia, Monocerote, & Serra.

C A P. XIII.



Quia & hec belua uersatur in Septentrionalibus aquis, meritò alijs monstris ueniet adiungenda. Est enim xiphia secundum Albertum lib. 24. de Animal. nulli alteri simile, nisi in aliqua proportionem ceti. Caput habet horridum, ut bubo: os profundum ualde, ueluti barathrum imensum, quo terret, & fugat inspicientes: oculos horribiles: dorsum cuneatum, uel ad gladij formam eleuatum: rostrum mucronatum, quo naues perfossas, ut Plinius lib. 32. cap. 2. allerit, in Oceano ad locum Mauritaniae, qui Cotta uocatur, non procul Lixi flumine submergit: ubi quasi in primo originis loco diutius conseruatur. Littora uerò Septentrionalia plerumque ueluti latrunculi, ac noxij hospites clamna semper occurrentibus nauigia perforando, ac submergendo illaturi ingre diuntur. Vocantur & xiphie gladij, Siciliam attingentes, qui uenatione thynnorum, ac eorum comestione mirum in modum impinguescunt: capiunturq; hoc modo,

immergit: qui ubi supradicta retia eius tergum frustra diraserint, alacer in undas exiit, & uitati periculi gaudia liberatus agnoscit. Scarus esca plectus, cum iuncum carcerem coeperit introire, mox ut ad se exitum suum inuitatum fuisse cognouerit, in caudam labitur, paulatim se ab angusto subducens. Quem si alter eiusdem generis cognouerit irretitum, extrema eius mordicus trahit, ut qui sibi caprus non potest subuenire, alterius solatio probetur euadere. Sic & sauri argutum piscium genus à uelocitate nominati, cum se insidias nexuosas impulerint, quasi quibusdam funibus æquabiliter illigati, totis nisibus trahentes retrorsum, socios conantur liberare captiuos. Plura sunt, si talia perquirantur. Omnia enim, quæ possunt habere contraria, facilis casus absumeret, si curam propriæ salutis non haberent.

Despermate Ceti, quod Ambra dicitur,
& eius Medicinis.

CAP. XVIII.



Cetus humanæ propagationis more cum balena congregiendi, ob uelocitatem coitus multum sperma emittit, & resoluât, atque sic resolutum uulua totaliter non admittit. Spargitur amplè per mare in diuersis figuris, colorem cæruleum habentibus, magis tamen ad albedinem tendentibus, sibi inuicem conglutinati: atq; à nauis sollicitè (ut inter nauigandum in Oceano sparsum uidi) colligitur, ut medicis purgandum uendant, qui purgatum ambra uocant: eoq; (ut Iorath autor est) contra guttas, & paralyfin, tanquam præcipuo, & pretiosissimo unguento utuntur. Præterea Platearius asserit, quod ambra sit sperma ceti, id est balenæ, & quod calida sit & sicca in secundo gradu. Est autem alba, & si inuenitur coloris gypsei, melior est. Sophisticatur autem cum puluere ligni aloës, & styrace, musco, & quibusdam alijs. Sed hoc agnoscitur: quia sophisticata ad mollitiem facile reducitur tanquam cera, ambra uerò integra non ita liquefcit. Habet uirtutem confortandi, ualetq; cōtra syncopin, & epilepsiam. Præterea Constantius in lib. graduum dicit, quod ambra de uentre cuiusdam maximæ bestię egrediatur. Quidam tamen dicunt, quod in fundo maris nascatur, calida & sicca in secundo gradu existens, & frigidas naturas confortans. Auicenna asserit: Ambra (ut æstimo) est manatio fortis in mari, melior grisea quia fortis, deinde uaria, post citrina. Et adulteratur cum gypso, & cera, & ladano: nigra specie mala est. Multoties autem assumitur ex uentre piscis: qui si eam comedit, moritur. Est autem calida & sicca, & uidetur esse calida in secundo gradu, sicca in primo. Cōfert autē decrepitis propter subtilitatem suæ calefactionis, tum etiam cerebro, sensibus, ac cordi.

De causa cur sperma animantium non sit
nigrum, sed album.

CAP. XIX.

Quod sperma multam similitudinem cum unguento habeat, ut superius dictum est, inconueniens non uidetur: quandoquidem Alber. lib. 16. cap. 9. de Animalibus dicit, sperma in multis cōuenire cum substantia olei: tum etiam spissari calido in corpore animalis existens, & solui frigido, quando sub dio stat extra

Vu 2 corpus

De mira affectione Balenarum erga foetum.

CAP. XVI.



Beatī Ambrosiī in Hexamer. lib. 5. cap. 3. trita sententia est, quod sicuti uolatilium, terrestrium, ita & aquatiliū uariā generatio reperiatur. Hincq; receptum est, quod piscium alij oua generent, ut trutæ, lupi, & percæ: alij uiuos foetus de corpore suo edant, ut mustelæ, caniculæ, ceti, delphini, phocæ, seu uituli marini. Qui oua generant, non nidos texunt ut aues, neque cum molestia sui nutriunt, sed aquis oua fouenda committunt: ipsaq; aqua foetus animat & creat, tanquā blanda quædam mater animantium. Cum ergo ouum cadit, aqua quodam naturæ suæ gremio, quasi blanda nutritrix illud suscipit, & animal celeriter fotu reddit: continuo enim tactu parentis animatum ouum cecidit, & piscis exiuit. Qui autem uiuos foetus emittunt, cum partus ediderint, si quid forte insidiarum terrorisq; presenserint circa catulos suos quenquam moliri, quod tueantur eos, uel teneræ ætatis pauorem materno affectu comprimant, aperire ora, & foetus suos innoxio dente suspendere, interno quoq; recipere corpore, & genitali feruntur aluo abscondere: atq; iterum fotu quodam eos sui caloris animare, & spiritu alere, duosq; in corpore uno uiuere, donec aut in securitatem deferant, aut corpore suo obiecto, natos suis defendāt periculis. Qui humanus affectus hanc piscium pietatem possit imitari? Ecce natura seruat in piscibus, quod rarò inuenitur in hominibus. Balenæ igitur branchias non habentes, fistulis spirant: quod in paucis animalibus inuenitur. Foetus suos gestant cum infirmantur, & inualidi sunt: & si parui sunt, eos in ora suscipiunt. Hoc idem imminente tempestate faciunt, & post tempestatem illos euomunt. Quando propter defectum aquæ foetus impediuntur, ne matrem sequantur, mater aquam ore receptam, instar fluminis, ad eos eijcit, ut sic inherentes terræ (quemadmodum in superiori imagine uidetur) liberet. Adultos etiam diu comitatur. Adolescunt autem celeriter, & decem annis crescunt.

Adhuc de aliorum Piscium affectione erga suos foetus,
& pietate in suam speciem.

CAP. XVII.

Piscis Abren dictus, tempore tempestatis maris natos suos in uentre saluat, & postea serenitate oborta euomit eos. Galalca, secundum Albertum lib. 24. de Animal. animal est marinum, quod foetum in utero uiuere sentiens extrahit, & lactat: sin autem extractum immaturum comperitur, in uterum reponit, nutritq; donec ad maturitatem formetur. Torpedo, iuxta Plin. lib. 9. cap. 51. octogenos foetus habens inuenitur: eaq; intra se parit oua præmollia, in alium uteri locum transferens, atq; ibi excludens: & circa æquinoctium parit. Est & piscis testudineæ formæ de quo Pet. Martyr 8. lib. Crediti continentis deca. 3. mira refert, quod licet sit monstrosus, mirè diligit hominem, ut permittat se ab eo aliquoties capi. Rursus affert eodem lib. in principio, piscem esse in mari Caspio cani similem, qui dente hominem secet, & deuoret. Ad hoc etiam propositum uerba Cassiodori in ultima epistola lib. 11. de pietate loquentis, non incongruè uentent applicanda. Dicit enim quorundam piscium hanc esse naturam, ut se muniant ab insidijs, & alios irretitos iuuent. Pisceus (inquit) lupus arenis se mollibus, ut plumbati lini insidias euadat, immergit:

pelle unius beluæ, 40. homines ex ea uestiri queunt, quemadmodum Solinus cap. 67. refert de Chelonophagis, qui corijs piscium uestiuntur. Dicit & autor libri De nat. rerum, quod in mari Occidentali pisces sunt, ex quorum pellibus homines ampla, & pulchra faciunt sibi uestimenta, prout supra de multis generibus pellicium est ostensum. Item Paulus Diaconus de corio bisontis meminit, quod in eo 15. uiri unus iuxta alium cubare potuerint.

De multiplici usu, & medicina pinguedinis Cetorum.

C A P. XXI.

NAut hæc præcipue utuntur pinguedine ad nauium tabulas foris inungendas, ne in horrida, siue asperrima hyeme, glaciales aquæ nauibus submergendis adhereant, aut congelentur, quia aquarum constrictionem prohibet, prout superius lib. II. cap. 23. & lib. 12. cap. 11. fuerat ostensum. Aurigæ etiam necessarium eius usum sibi uendicant in rotis curruum perungendis: imò & pellicium præparatores, ut etiam superius dictum est de pinguedine uitulorum marinorum. Nec Plinius libro 32. capite 1. eius usum Arabis deesse asserit, sicuti nec aliorum piscium adipis, in camelis perungendis, ut asili ab his fugentur odore. Pulmone marini piscis si fricetur lignum, ardere uidebitur sicut oleum: unde & ex quorundam pulmonibus oleum fieri consuetum est. Adeps marinorum, ac fluuiatilium piscium liquefactus, oleo, & melle admixto, oculorum claritati confert. Est et Aui cennæ opinio, quod adeps piscis confert aquæ oculi, ac acuit uisum cum melle. Dioscorides asserit, quod adeps piscium fluuiatilium melle mixto, solutus in sole, caligines oculorum detergat. Demum Plin. lib. 15. cap. 7. dicit ichthyophagos ex piscibus oleum factitium ad plurimam rerum utilitatem exprimere.

De structuris ex ossibus Cetorum.

C A P. XXII.



FActa mentione quàm maxima sint corpora cetorum, siue balenarum, in capite, dentibus, oculis, ore, cure, ossa locum exigunt, ut & suam inueniant declarationem: quæ talis est: Cum uehementia frigorum in extremis partibus Septentrionis, & ualida tempestates ibidem haud sinant in altum crescere arbores, e quibus erigi possint necessariae ædes: ideo prouida natura incolis prospexit, ut ex ingentissimis beluarum costis fabricare ualeant domos, & reliqua necessaria in eisdem. His enim beluis marinis ad littora tam inimica uel aliarum bestiarum appulsis, quàm uenatione hominum frequenti attractis, ut illic incolarum præda fiant, uel putredine consumantur, certum est ex eis relinqui talia, tamq̃ uasta ossa, quod ex his integræ habitationes, tum quoad parietes, portas, fenestras, tecta, sedilia, tum etiam quoad mensas, confici queant. Hæ enim costæ 20. 30. aut plurium pedum sunt: præterea spinæ, spondyli, atque uasti capitis bifurcata ossa haud paruam in se quantitatem habent: quæ omnia artificum industria ita ferris & limis aptantur, ut faber lignarius adhibita ferrea iunctura compendio sius nihil extruere posset. Meminere similia Plin. lib. 9. cap. 3. & Strabo lib. 15. qui in

Vu 3 hunc

corpus animalis. Causas præterea ibidem ponit, quare sperma animalium exit spissum & album à corpore generantis. Ex calore enim interiori generatur, & adunatur in eo spiritus multum calidus, qui inspissat & dealbat substantiam eius: cum autem exierit, & in frigidatur, dissolvitur calor, qui est in eo, & euolat cum calore spiritus: sed hoc accidit spermati, quando in frigidatum incipit desiccari. Præterea, quod quidam dicunt sperma elephantis esse nigrum, ut carbo, propter terreum in ipso contentum, & per consequens magna generari ex eo ossa in corpore elephantis, &c. arguit Albertus eodem loco impossibile: sed necessarium esse, quod sperma unum ad naturam animalis sit magis terrestre, quam aliud secundum diuersitatem complexionis animalium. Sperma tamen animalis, cuius corpus est terrestre, efficitur terrestre, & album, & spissum, propter aeris admixtionem, sicut et alia spermata. Neque Aethiopis sperma nigrum est, cum deprehenditur dentes eorum esse albißimos. Causa enim albedinis spermatis est spumositas ipsius, quæ spuma est albi coloris, præcipue illa, cuius substantia est ex partibus paruis, uentosis, & ampullis minutissimis latentibus. Similiter accidit mixtioni aquæ, & olei, fortiter factæ. Sperma autem esse butyrosus & spumosus, antiqui fabulantes non ignorabant: quandoquidem deam coitus Venerem, quæ cupidinem lactat, dixerunt natam esse de spuma testiculorum. Qui autem hac ratione Alberti haud contentus, meliorem cum in his, tum in alijs (si possit) indagare uoluerit, liberum ei relinquitur.

De pinguedine, carnibus, ossibus, & corijs Ceterum, ac similibus animalium.

C A P. XX.



Cetis, seu balenis ē mari piscatorum arte, ingenio, & magno labore extractis, siue ui uentorum ac tempestatum, aut inimicorum piscium furia littoribus impulsis, incolæ prædā securibus, & ascijs partiuntur, ita ut ex unius balenæ, siue ceti carne, pinguedine et ossibus, 250. uel 300. plaustra repleti possint. Carnem et lardum in multis, & magnis uasis, inter ceteros immensos marinos pisces sale condiunt, eaq; pro commoditate, & esca domestica utuntur, alijsq; ad eum usum uendunt in remotas orbis partes deferenda: Pinguedo, uel adeps ceti, magna est in toto corpore, sed maxima in capite circa cerebri medullam: unde quandoq; 12. lagenæ, quarum quælibet uix ab uno homine portari potest, quâdoq; 30. uel 40. huius pinguedinis plenæ (quælibet Barile Romanū magnitudine sua superans) per totidem uiros fortes uix portatu idoneæ extrahuntur eliciunturq;. Vtilitas uero huius saginæ ea est, ut lampadibus infusa, & aucta semper, ad altaria, siue alia loca sacra, tam noctu, quàm interdiu continuò lumen admittret: priuato etiam usui, ac domestico, cum in hyeme nulli ibidem dies sint, plurimum deseruiens. Ossa præterea eius minora defectu lignorum domestico loco adaptantur: imò & aliorum piscium capita, uti etiam Solinus cap. 25. gentem Neurorum ponit, quæ ossibus adolet ignes focorum. Adest & assertio Volaterrani lib. 25. qui pro miro adducit, Scythas animalia, & Tylenses loco lignorum pisces comburere: quod in Septentrione ultra Nidrosiam non est, quia ibi (lignis ob frequentes tempestates haud crescentibus) continuò comburunt ossa piscium in maxima multitudine (ut supra dictum est) captorum. Ex corio denique balenæ fiunt balthæa, oculi, tractorij funes pro usu campanarum, diu durâtes: imò partita pelle

alijs animalibus, more aliarum ædium lignearum: relicto semper sub culmine huius structuræ loco, pro gallis quasi horologijs, ut homines nocte (quæ ibidem hyeme continua est) ad opus excitentur. Dormientes inter has costas non alia insomnia vident, quam si continuè in fluctibus marinis laborarent, aut in tempestatibus ad naufragium usq; periclitarentur, prout in simili superius lib. 18. cap. 8. de gulonibus extitit declaratum. Refert etiam Plin. lib. 11. cap. 37. maxima animalia aquatilia habere pectora carinata, atq; costas multas pulchro naturæ ordine distinctas sicuti in alijs animalibus terrenis: ut sunt homini octonæ, suibus denæ, cornigeris tredecim, & serpentibus triginta.

De anchoris dorso Ceti impositis.

CAP. XXV.

Habet etiam cetus super corium suum superficiem tanquam sabulum, quod est iuxta littus maris: unde plerunq; eleuato dorso suo super undas, à nauigantibus nihil aliud creditur esse, quam insula. Itaq; nautæ ad illum appellant, & super eum descendunt, inq; ipsum palos figunt, naues alligant, focos pro cibis coquendis accendunt: donec tandem cetus sentiens ignem sese in profundum mergat, atq; in eius dorso manentes, nisi funibus à nauí protelis se liberare queant, submergantur. Hic cetus (ut superius de physetere, & pristè dictum est) aliquando fluctus hausit ita eructat, quod alluuiæ nimbose plerunq; classem nauigantium deprimat: & cum in mari tempestas oritur, se super fluctus attollit, ut in his commotionibus, ac turbinationibus naues mergat. Arenas aliquando dorso sustollit, in quibus ingruente tempestate (ut libro De naturæ rerum habetur) nautæ, terram se inuenisse gaudentes, anchoris demissis falsa firmitate quiescunt, ac ignes accensos belua sentiens, subito commota se in aquas mergit, hominesq; cum nauibus, nisi anchoræ rumpantur, in profundum attrahit. Quod uerò nauigantibus terra apparet cetorum ac balenarum immensitas, Ambrosius in Hexame. lib. 5. cap. 11. fidem facit. Dicit enim: Cetus est piscis infinitæ magnitudinis, qui si quando supernatat fluctibus, annatare insulam putes, montes altissimos summis ad cælum uerticibus eminere: qui non in acta, nec in littoribus, sed in Atlantici maris profundo fertur uideri, ut eius conspectu nautæ à nauigandi in illis locis præsumptione reuocentur, nec secreta elementorum adire supremæ terrore mortis usurpent. Idem eod. lib. cap. 10. Cete illa immensa genera piscium, æqualia montibus corpora. Et paulo ante: Ultra terminos orbis terrarum mare norunt, quod nullæ interpolent insulæ, nec terra aliqua interiaceat, uel ulterius sit posita. Illic igitur, ubi diffusum late mare omnem spectandi usum, utilitatis gratia nauigandi intercludat audaciam, condere se feruntur. Deinde: Habent suas regiones & habitacula distributa, manent in his inoffenso uicinarum limite, nec uago transitu mutationes quærunt locorum, sed tanquam patrium solum diligunt, & in his immorari dulce arbitrantur. Hæc Ambrosius. Meminit & Strabo lib. 16. in uerbo Dracones magni, quod super eorum dorso in Libya herba innascatur.

Adhuc de magnitudine eiusdem Ceti.

CAP. XXVI.

Tnceto (ut auctor est Iorath) magis terrestris, quam aquea dominatur natura: quando enim senescit, radices, frutices, & arbuta super se colligit, quæ crescunt super ipsum, & multiplicantur. Vnde beatus Hieronymus inquit, cetos & testudines tanta magnitudine eminere, ut nauigijs anchorarum stationem capiendis instar insularum sufficiant. Confirmat etiam hoc præsens propositum diui Brendani Britaniæ Pontificis marina peregrinatio in septenniū usq; deducta, atq;

hunc modum hac de re loquitur: Ichthyophagorum regio in India secus mare est, & magna ex parte arboribus caret, raritas in ea palmarum. Deinde: Vescuntur piscibus, tum ipsi, tum eorum pecora: & aquas pluuias, aut fossiles potant: pecorum carnes piscibus præbent: domicilia ex ossibus cetorum, & ostreorum conchis magna ex parte faciunt. Nam trabium, & fulcrorum usum costæ præstant, portas maxillæ: ex uertebis fiunt mortaria, in quibus pisces subiguntur ad solem assati: postea ex his panem conficiunt frumenti paululum admiscentes. Hæc Strabo.

Adhuc de externis exemplis huiusmodi stru-
cturarum.

C A P. XXIII.

Afferit Plinius lib. 9. cap. 3. dicens: Gedrosos, qui Arbin amnem accolunt, Alexandri Magni classium præfecti prodidere, in domibus fores maxillis beluarum facere, ossibus recta contignare, ex quibus multa quadragenam cubitorum longitudinis reperta. Sunt etiam qui spinis dorsi huius beluæ, seu uertebis concauatis, uelut mortarijs, pro speciebus conterendis utantur. Præterea Volaterranus lib. 25. dicit se uidisse anno Domini M.CCCC.XCVIII. apud uada Volaterrana repertam in littore extinctam, siue balenam, siue cetum, siue alterius generis beluam, magnitudine pedum centum, cuius dorsi uertebrae sexaginta fuere: septem ex eis Volaterras allatas: quarum quælibet equi ephippium æquabat. Sunt & testudines in Taprobana insula, quarum tanta est magnitudo (teste Solino cap. 66.) ut superficies earum domum faciat, & numerosam familiam non arcte receperet. Et idem cap. 47. inquit: Ioppe oppidum antiquissimum orbe toto, utpote ante inundationem terrarum conditum. Id oppidum saxum ostentat, quod uinculorum Andromadæ uestigia adhuc retinet: quam expositam beluæ non irritus rumor circumtulit: quippe ossa monstri illius M. Scaurus inter alia miracula in ædilitate sua Romæ publicauit. Annalibus nota res est. Mensuræ quoque ueracibus libris continentur, scilicet quod costarum longitudo excesserit pedes 40. & excelsitas elephantis fuerit. Indicis eminentior. Porro uentriculi spinæ ipsius, latitudine semipedem sunt supergressi. Hæc Solinus. Horum quoque ossium in eundem modum Plin. lib. 9. cap. 5. meminit. Sunt denique maxima cetorum ossa in scopulis Islandiæ, & Noruegiæ, in quibus tanquam saxi naufragia fiunt.

De Domibus ex erectione integrarum costarum.

C A P. XXIII.



Fæsis igitur, ac dissolutis carnibus, & intestinis huius uastissime beluæ, sola ossa remanent in modum magnæ carinæ, quæ demum imbris, & aëre purgata, uiribus hominum ad hoc uocatorum, instar domus erigitur: tum industria constituentis patroni, fenestris in culmine recti, uel lateribus beluæ collocatis, in plures & commodas habitationes diuiditur: ianua quæ fiunt ex corio eiusdem beluæ, longè prius ad eum, aliumque usum extracto, atque uentorum asperitate indurato. Separatim etiam intra hanc carinam, quasi domum erectam, distinguuntur camerae pro porcis, & alijs

De Rosmaro, siue Morfo Noruagico.

CAP. XXVIII.



NOruagicum littus uersus loca ad Septentrionem magis uergentia, maximos ac grandes pisces elephantis magnitudine habet, qui morfi seu rosmari uocantur, forsitan ab asperitate mordendi sic appellati: quia si quem hominem in maris littore uiderint, apprehendereque poterint, in eum celerrime insiliunt, ac dente lacerant et in momento interimunt, ueluti alius quidam truculentas piscis Tiburonus dictus, qui a profundis cauernis Caspij maris in Oceanum Scythicum dilucit, & post aliquantulum tempus ad id reuertitur, ut Pet. Martyr lib. 8. Crediti continentis in principio refert. Rosmari itaque hi pisces, siue morfi dicuntur, caput habentes bouinae figurae, hirsutam pellem, pilosque spissitudine ueluti culmos, uel calamos frumenti late defluentes. Dentibus sese ad rupium cacumina usque tanquam per scalas eleuant, ut rorulento dulcis aquae gramine uescantur, seque uolutando mari uicissim exponant, nisi interea somno profundissimo oppressi, pendendo in rupibus dormierint: quoniam tunc piscatores appropinquantes quantocius poterunt, pellem a lardo secundum caudam soluunt & in hoc, quod solutum est, funes fortissimos mittunt, eosque in scabrosis rupibus, uel propinquis arboribus firmanz: saxi deinde funda ad caput, ut excitetur, proiectis, eum descendere cogunt, maiori parte pellis funibus firmatae spoliatum: unde debilitatus exanguis, ac semiuivus redditur in optimam predam, maxime propter dentes, qui pretiosi sunt apud Scythas, Moschos scilicet, & Ruthenos, ac Tartaros (uti ebur apud Indos) ob duritiam, candorem, & grauitatem: qua de causa etiam frumentarum manubrijs artificum excellenti industria accedente adaptantur. Et hoc Miechouita quoque Polonae historicus in sua duplici Sarmatia attestatur, & Paulus Iouius post eum ex relatione cuiusdam Demetrii, a magno Duce Moschouitarum ad Clementem 7. missi.

De pelle eiusdem Rosmari.

CAP. XXIX.

Pellis, siue corium huius animalis, ut nigrum & fortissimum est, ita bono pretio emptum ad maxima leuanda per trochleas, combinandaque pondera reseruatur, praecipue pro campanis altarum turrium: imo & huius pellis fortitudine grauissimae campanae ad lignum, in quo uertuntur, ac machinae bellicae colligantur. Est & aliud marinum monstrum in Arcadia secundum Plin. lib. 9. cap. 19. adonis, siue exocetus, ab eo, quod in sicco somni causa exeat, appellatum. Hoc per maris tranquillitatem in terram se confert, ac inter rupes prostratum aliter soporatur. Aues aquatiles maxime exhorret. Dormit ut balena, & uitelus marinus, in arena, solis uehementi ardore ad grauem somnum excitatum. Quod uero superius de usu dentium dictum est, haud inconuenienter huic loco annexi poterunt duo illi dentes elephantis portentosa longitudinis (decem enim pedes singuli continebant) de quibus Aurelianus Imp. sedem proposuit Ioui summo aedificare, si plures eiusmodi magnitudinis inuenisset, prout Sabellicus refert in uita Aureliani lib. 7. Ennead. 7. Morforum, siue rosmarorum dentes ualde artificiose elaborantur in usum ludi Latrunculorum, seu Schacorum, quo mire & ingeniose utuntur

in catalogo Sāctorum commemorata, quòd uidelicet ipse cum suis socijs piscem ingentem, nomine Iasonem, inuenerit: in quem, insulam eum esse sibi persuadentes, descenderunt, ignemq; accenderunt: dumq; piscem se mouere sentirent, ad nauim repente fugiendo uix uitam illo se continuo mergente seruarunt. Præterea iussu Brandani pisces super undas se leuarunt, uoceq; tonante Deum laudauerūt. Verum ne temerario iudicio cuiusuis talia tanquam uero haud similia refutentur, attendere ad Platonem oportet dicentem, Non esse à nobis calumnianda, quæ libris sacrorum delubrorum conscripta referuntur: prout Alber. lib. 23. de phœnice aue Arabiæ allegat. Cetus non comedit ut alij pisces, manducando scilicet, cibūq; dentibus comminuendo: sed tantummodo glutiendo intra uentriculum pisces immittit. Habet enim oris meatus strictos ad pisces abglutiendos, quos odorifero anhelitu attractos deuorat, et in uentrem mittit. Habet insuper in gutture quandam pellem membranæ similem, quæ multis meatibus perforata, non sinit quicquam, nisi minutum, ingredi uentrem. Meminit demum Strabo lib. 16. Eratosthenem tradere, se uidisse cetum in littus de mari electum centum & quinquaginta cubitorum longitudine. Estq; notatum, quòd quando cetus, seu balena ludit super aquas, grauissimas indicat aduenire tempestates.

De porco monstroso Oceani Germanici.

CAP XXVII.



Dictum est superius eodem lib. cap. 13. de monstroso pisce reperto in littoribus Angliæ, cū clara descriptione totius corporis, & singulorum membrorum eius, quòd scilicet M.D. XXXII. ibidem uisus sit, & ab incolis in prædam raptus: nunc autem ad memoriam reducetur monstrosus ille porcus, qui M.D. XXXVII. postea anno, in eodem Germanico Oceano repertus est, totusq; in omnibus suis partibus portentosus uisus. Habuit enim porcinum caput, quartam lūne partem in occipite, quatuor pedes draconis, duos oculos ab utroque latere in lumbis, tertium in uentre ad umbilicum inclinantem, atq; in posterioribus caudam bifurcatam instar usitati piscis. Facta est eo tempore in urbe Roma interpretatio, & imprimendo publicata, quid singulæ illius bestię partes portenderent, uidelicet hæreticos porcina uita plerumq; agere. Per lunam in occipite immutatio ueritatis, quæ non in fronte, sed in occipite porci existit, significatur. In lumbis ac uentre, oculi scandalis pleni sunt: ideoq; amputandi. Per pedes denique draconis quatuor mortalium affectus, & operationes peruersissimæ indicantur, à quatuor angulis orbis terrarum malitiose irrupentes, inq; pisce præcipue tanquam curioso insidiatore apparentes. Vt cunq; igitur sit de hoc prodigioso porco, meritò hic infelicitis huius xui impuris hominibus proponi poterit, ut per eius similitudinem monstrosos mores horreant, uirtutesq; ac benignitatem amplectantur. Certum est porcum marinum prædandi artem, & sequitiam multum truculentam probè nouisse: ferociorq; existit, quando uitulū marinum tanquam socium in omni præda aggredienda sibi adiunctum habet. Autor deniq; libri De natura rerū concludit, quòd potentiores & ualide beluæ, semper imbecilliores & debiliores deuorent, uti in trito proverbio Gothico fertur, Maiores fures minores plerumq; suspendere.

bent, et duas directè super eas in latere uersus dorsum. Est etiam de supradictorum genere ludolatra animal marinum, quatuor habens alas, duas in facie, & duas in dorso, quibus magna uelocitate fertur in omnem, quem elegerit uolueritq; locum. Miluago piscis est secundum Plin. lib. 32. cap. 2. super aqua uolitans: qua lætitiæ nota tempestatum mutationem significat, contra morem aliarum beluarum, ut sunt ceti, uitulî marini, delphini, & balenæ.

De Loligine, alijsq; alatis, ac ferratis Piscibus.

C A P. XXXI.



L Oligines beluæ pennatæ longitudine quinûm cubitorum, uti sagittæ extra aquam se efferunt, etiam tanto in numero, quod naues obuantes demergant, prout testes sunt Isidorus, & Albertus lib. 24. tum etiam Plinius lib. 32. cap. 2. Dicit etiam Isidorus, in Oceano Mauritanie non procul à Lixo flumine, tantam multitudinem loliginum esse, ut obuias naues ab aquis euolantes nedum molestare, sed & mergere possint. Vnum hoc omnibus, qui ab his molestantur, plurimum prodest, quod ultra biennium haud uiuunt, quemadmodum Aristoteli lib. 5. De animal. cap. 18. tradit. Hoc tamen genus loliginum est de lacertorum genere, miramq; in magnitudinem crescit. Plin. lib. 32. cap. ultimo loliginem uolitantem uocat. Præterea ibidem marinorum piscium multa, miraq; nomina, ac naturas refert, scilicet canículas, dromones, cornuras, gladios, ferras, acipenseris, auratas, asellos, acarnes, aphyas, alopeciades, araneos, boctes, bates, banchos, batrachos &c. Idem autor lib. 9. cap. 44. de ariete marino loquens asserit: Grassatur aries ut latro: & nunc grandium nauium in salo stantium occulta tus umbra, si quem nandi uoluptas inuitet, expectat: nunc elato extra aquam capite, piscantium cymbas speculatur, occultusq; adnatans mergit. Idem eodem lib. cap. 27. Draco marinus captus, atq; immisus in arenam, cauernam sibi rostro mira celeritate excauat. Pectūculus sicuti loligo uolat, imò et sagittæ modo festinat. Vemum aculeato pisce digitus, uel manus tacta illico incurabiliter intumescit, cui solummodo fortè acetum succurrere uidetur. Sed caniculæ marinæ morsus maxime periculosus est in ipso attractu, quo se eximere solet atq; hominem secum atrahere in mare deuorandum.

De periculis Nautarum, infestatione maximarum beluarum, auium, & minimorum pisciculorum.

C A P. XXXII.



C Ernuntur in hac supraposita imagine tria spectacula trepidantibus nauarchis satis formidolosa, infestatio scilicet nautarum à grādibus balenis eructantibus haustas fistulis aquas in nauim, uolucris innumeris, ac minutissimis pisciculis retinentibus naues. Primo periculo subuenitur proiectione magnorum uasorum uel aspersione lixiuij ab omni parte nauis ex castoreo confecti, uel alto clangore tubarum

utuntur omnes populi Septentrionales, maximè Principes & clarissimi uiri: & hoc ob plures causas, quarum una est cæteris honestior (uti superius lib. 15. cap. 12. dictum est) ut eo scilicet ludo parentes temperantiam, & modestiam procorum, qui ueniunt ad nuptiale fœdus filias petitori, explorent. Non enim eo in ludo se continere poterunt, quin suæ uirtutis & patientiæ in casibus prosperis aduersisque pro tempore, loco, et conditione fortiter tolerandis, aliquod specimen exhibeant. Dicit etiam Plato in lib. De legibus, ubi tractat gradus ebrietatis, quod nullam habemus uoluptatem commodiorem ea, quæ inter bibendum ludo mores examinat, si modo prudens quædam cautio adhibeatur: ibi enim probatur utrum difficilis, aut agrestis animi sit, an uenerus, an prodigus &c. Dentes autem pisces aliqui grandes, ut balena, & hic rosmarus siue morsus, exertosque ueluti aper habent: quidam serratos, ut raia: quidam serratos, sed pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur, ut luci uel lupi: quidam continuos, ut carpiones, sicuti & homines. Et ita denticulata asperitas alijs conceditur, alijs uero mordacitas cultellata.

De Piscibus alatis.

CAP. XXX.



ETSI aliquorum sententia est non prodesse piscibus, habere quatuor alas & duos pedes, aut duas alas & duos pedes, aut aliud membrum omnino ambulationi deseruiens, cum uideatur otiosum: est tamen piscis quidam duas alas membranaceas habens, qui uolat per spatium modicum, posteaque desilit in maris profundum, quem & hirundinem Plin. lib. 9. cap. 26. uocat. Pedes eius sunt sicuti auis, sed cauda caret propter uolatum, hirundini quæ in arena riparum nidificat, plurimum similis. Inuenitur etiam piscis in mari Germanico inter Angliam et Noruegiam, qui habet duos pedes et quatuor alas: quæ mouentur flexæ ad inferiora uentris & pectoris sui, sicut aliarum auium alæ. Sunt autem duæ antè iuxta branchias, & duæ posterius ante caudam, suntque alæ membranaceæ, spissæ quidem ualde iuxta corpus in parte, quæ est loco adiutorij brachij, & tenuiores in parte anteriori alæ: & hanc dispositionem habent etiam alæ posteriores. Branchiæ autem istius piscis non habent fissuram uersus uentrem, uel pectus pertingentem: sed hi pisces habent branchias, quæ terminantur super humeros alarum anteriorum, quatuor foraminibus quadratis, ita quod duo sint propinquiora capiti, & duo propinquiora alæ dextræ, similiterque disponuntur branchiæ in sinistro latere. Caput autem istius piscis, color, pellis, figura corporis, ac sapor carnis, est ferè sicut piscis, qui raia uocatur. Crura autem eius sunt cartilagines sine iunctura, et subtus in pedibus habet foveas, ut fortius figatur. Cauda autem eius non est uti raia, sed similis caudæ aliorum piscium, nisi quod est aliquantulo longior. Denique ante caudam in loco dorsi, ubi stringitur solida pars corporis, quæ est post concauum uentris, habet & pinnam more aliorum piscium, ualde tamen magnam respectu sui corporis. Capitur hic piscis inter raia & squatinas, ut plurimum minus utilis, propter steriles carnes, & exiguam pinguedinem: uerum difficilè è profundo fume & hamo, ob resistantiam alarum, eruitur &c. Pisces præterea quidam lati corporis sunt, qui quatuor pinnas habent, duas in uentre, & duas in dorso: & hæc pinne, quibus utuntur, alæ uocantur: quales per omnia similes habent pisces lepores marini dicti: hi enim duas pinnas in uentre habent,

fides properantium nequeat uota terrere. Aut fortè incumbēte Austro, remigisq̃ iuuantibus meatus nauium echeneis morsus inter undas liquidas alligauit: aut in dici maris conchæ simili potentia labijs suis nauium dorſa fixerunt: quarum quies tactus plus dicitur retinere, quàm exagitata possint elementa complere. Stat pigra ratis tumentibus alata uelis, & cursum non habet, cui uentus aridet: sine anchoris figitur, sine rudentibus alligatur: & tam parua animalia plus resistūt, quàm tot auxilia prosperitatis impellunt. Ita cum subiecta unda præcipitet cursum, supra maris tergum nauigium stare constat infixum, miroq̃ modo natantia inconstante retinentur, dum innumeris motibus unda rapiatur. Sed ut dicamus aliam piscis naturam, fortè nautæ prædictarum nauium torpedinis tactu segnissimè torpuerunt: à qua tantum infigentium dextræ prægrauantur, ut per hastam, qua fuerit uulnerata, ita manum percutientis inficiat, quatenus uiuæ substantiæ pars sine sensu aliquo immobilis obstupescat. Credo talia incurrerunt, qui se mouere non possunt. Sed echeneis illis impedimentosa uenalitas est: concharum morsus, infatigata cupiditas: torpedo, fraudulenta simulatio. Ipsi enim studio prauo faciunt moras, ut occasiones incurrere uideantur aduersas: quod magnitudo tua, cui speciali ter conuenit cogitare de talibus, celestima faciat emendatione corrigi: ne inopia non tam à sterilitate temporis, quàm à negligentia matre nata esse uideatur. Alias huius Theoderici uitam habes sup. lib. 8. cap. 5. pag. 249.

De Polypis.

C A P. XXXVIII.



IN littoribus Noruegiæ polypus, siue multipes animal est, fistulam in dorſo habens, qua mare transmittit, eamq̃ modò in dexteram partem, modò in sinistram transfert. Cæterum per brachia uelut acerbulis dispersis ac denticulatis forcipes, omne quod sibi appropinquat, inuoluit: animal carens sanguine. Quicquid comedit, aggregat in cauernis ubi manet: deinde putamina, erosa carne egerit, adnatantesq̃ pisciculos ad ea uenatur: testas etiam & crustas cancrorum reuiduas ençit. Mutatur color eius ex lapidis colore cui adhæret, maximè accedente timore ob aspectum congrui inimici sui. Habet quatuor pedes medios magnos, & in totum octo: paruum corpus, quod pedum magnitudine compensatur: aliosq̃ adumbratos pedes, strictos, qui uix percipi queunt. His se sustentat, mouetur, & tuetur, tum etiam apprehendit quicquid à se fuerit remotum: supinusq̃ adheret saxi, ut uix amoueri possit, nisi re aliqua foetida admotâ. Polyporum multa sunt genera: terreni maiores quam pelagici: omnes brachijs, ut pedibus ac manibus (sicuti Plin. lib. 9. cap. 29. asserit) utuntur. In hyemē & uerē pariunt unum ouum simile nuci, de quo solo innumeri pisces generantur, sed propter paruitatem plurimi corrumpuntur. Polypus fœmina secundum Aristotelem lib. 5. cap. 18. de animal. modo incubat ouis, modo in ore sui cubilis assidens, brachium super ouis exporrectum tenet, excluditq̃ quinquagesimo die. Tempore coitus, ut ferè reliqua animalia, insipidas carnes habent, quia non pascuntur, neq̃ ob libidinem saturantur, & intantum uehementi coitu debilitantur, ut à paruis pisciculis deuorentur, & facile à suis cubilibus derrahantur, cum antea nihil tale ijs usu eueniat: tum uerò paruos, nouellosq̃, quamuis recens natos, nullo eiusmodi malo affici narrant, quinimò ualidiores esse, quàm grandes, confirmant. Præterea extra coitum adeò magnam fortitudinem habent, ut hominem inuadant: quod

Xx

notent

barum: secundum à coturnicibus auibus illatum, ardentibus faculis cōtra alitum alas extensis remouent: tertium, quia subtus in undis latitat, nūquam uel rarō eius euitandi facultas datur, quòd minimum corpore, sed maximum naturæ potentia hostem, semipedalem scilicet pisciculum, echeneidem, uel remoram dictum superare nequeant: qui ex eo secundum Isidorum nomen sumpsit, quòd nauem adhærendo retineat. Ruant licet uenti, sauiant procellæ, nauis tamen quasi radicata in mari stare uidetur, nec moueri, nō retinendo, sed tantummodò adherendo. Hunc Latini moram appellauerunt, eò quòd cogat stare ipsa nauigia. Dicit etiam Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. 9. Echeneis est animal in mare exiguum, uile, & despiciabile. Hic tamen cum uentorum procellam præsenferit, calculum ualidum arripit, eumq; uelut saburram uehit, & tãquam anchoram trahit, ne excutiat fluctibus. Itaq; non suis se librat uiribus, sed alieno stabilit & regit pondere. Stabilimentum præterea dat alijs, quod sibi ipsi præstare non potest: sibi enim de lapillis mendicat, quod nauibus abundanter tribuit. Talibus itaq; minusculis creaturis illuditur hominum impotens superbia, ut Plin. lib. 32. cap. 1. clarius asserit: Heu uanitas humana, cum rostra illa nauium ere ferroq; ad ictus armata, semipedalis inhibere possit, ac tenere deuincta pisciculus. Fertur Actiaco Marte tenuisse prætoriam nauim Antonij, properantis circumire, & exhortari suos, donec transiret in aliam. Ideoq; Cæsariana classis impetu maiore protinus uenit. Tenuit & Caij Principis nauem ab Astura Antium remigantis, etiam auspicialis pisciculus. Siquidem nouissimè tum in Urbem reuersus ille Imperator, suis telis confossus est. Nec longa fuit illius moræ admiratio, statim causa intellecta, cum è tota classe quinqueremis sola non proficeret, exilientibus protinus qui id quærent circa nauim, inuenere adherentem gubernaculo, ostenderuntq; Caio, indignanti hoc fuisse, quod se reuocaret, quadringentorumq; remigum obsequio cōtra se intercederet &c. Et hoc quidem adhesionem semipedalis pisciculi factum est, ut nauis 200. aut amplius pedum cum omnibus suis armamentis, ac ponderibus retineretur, nullam aliã ob causam mihi planè persuasum habeo, nisi quòd Deus mirabilis in creaturis suis glorificaretur. Pisciculus autem ille comedi non potest, quia infert mortem. Dicunt deniq; Solinus cap. 18. & Plin. lib. 10. cap. 23. nautis infelix satis omen ex coturnicibus imminere: quippe noctu è transmarinis partibus in tanto sepe agmine uenire, ac uelis insidere, ut nauigia mergant. Atq; ita infertur, hominibus paratos esse hostes in æthere minusculas coturnices, in terra feroces bestias, in aqua permaximos cetos, & despiciabiles semipedales pisciculos, potentissimas naues retardantes.

Adhuc de Echeneide ex testimonio Cæsiodori libro primo.

C A P. XXXIII.

THeodericus Rex Gothorum arguens moram apportantium annonam in maxima tarditate, scribit Fausto præposito in hunc modum: Cum siccitas præsentis anni, quæ localiter certis solet desequire temporibus, terrenis uisceribus nimio calore duratis, abortiuos messium fœtus non tam edidit, quàm imperfecta ubertate proiecit: maiori nunc studio quærenda sunt, quæ etiam in abundantia expeti consueuerunt. Et idèò frumenta publica, quæ de Calabro, atq; Apulo litto-ribus per cancellarium uestrum æstatis tempore consueuerant destinari, nec autumno uenisse, modis omnibus permouemur: cum solis reflexus Australia signa discurrens, naturæ ordine modificatus, tumultuosas procellas aëris permistione resuscitat: quod ab ipsis quoq; mensibus datur intelligi, quando ex numero imbrium futurorum competenter nomina susceperunt. Quæ ergo talis mora, ut in tantis tranquillitatibus uelocia necdum fuerint destinata nauigia: cum stellarum non mergentium lucidum sydus tendi carbasa festinanter inuitet, & aëris sereni fide

De Spongijs, & Vrticis.

CAP. XXXVI.



Figura hæc, quæ ut rosa cernitur, spongia marina & urtica formam ostendit: spongia autem ualde multiplicata penes littora Noruegiæ, eius est natura, quod conueniat cum ceteris animantibus in motu dilationis & contractionis. Quædam uero earum immobiles sunt à saxis, & si abrumpantur à radicibus, recrescunt: quædam autem sunt mobiles de loco ad locum & hæc in maxima copia in littoribus prædictis reperiuntur. Cibantur limo, pisciculis, & oistreis. Vientibus idem qui madentibus, nigricans color. Adhærent nec parte, nec toto: intersunt enim fistule quædam inanes, quaternæ ferè aut quinæ, per quas pasci existimantur. Sunt & alię, sed supernè concrete. Et subesse membrana quædam radicibus earum intelligitur. Viuere constat longo tempore. Vrticæ uis & natura est, secundum Plin. lib. 9. cap. 45. ut sit pruritu mordax, ueluti urtica terrestris. Contrahit ergo se quàm maximè rigens, ac prænatante pisciculo frondem suam spargit, complectensq; deuorat. Aliàs marcenti similis, & iactari se passa fluctu algæ uice, contactos pisces, attrituq; petrae scalpentes pruritu inuadit. Deinde: Tacta uredinem mittit, paulumq; si fuit interualli, absconditur. Ora ei in radice esse traduntur. excrementa per summa tenui fistula reddi, quibus etiam inesse sensum Plin. eod. cap. arbitrat, quippè quod nec animalium, neq; fruticum, sed tertiam quandam ex utroq; naturam habeant, urticæ uidelicet, & spongię. Aristoteles de ea lib. 4. animalium cap. 6. sic refert: Sentit, & manum admotam corripit, adhærescitq; perinde ac polypus suis brachijs, ita ut caro intumescat. Os medio in corpore continet, & de saxo quasi de testa uiuit, & prænatantes pisciculos excipit retinetq; sicut manu admotam hominis agi dictum est, deuoratq; in hunc modum, quæcunq; tacta est, esculenta. Est etiam genus quoddam urticæ, quod & echinos & pectunculos in quos offenderit, corrodit. Reliquam eius, ac triplicem spongiarum naturam Aristoteles, Plinius, Albertus, ac alij tradunt.

De Stellis marinis, & Vermibus longissimis.

CAP. XXXVII.

Stellam secundum Plin lib. 9. cap. 60. in mari sapientia claros autores mirari Suido: cuius figura hæc est, quod parua admodum caro eius sit intus, extrà duriore callo. Huic tam igneum feruorem esse tradunt, ut omnia in mari contacta adurat, omnem cibum statim peragat. Carnes autem marinæ stellæ contra marini draconis ictus ualent appositæ, uti refert idem lib. 32. cap. 5. Stella uero iuxta Alber. lib. 24. de animal. piscis est in mari Occidentali, in figura stellæ formatus. De hoc dicitur, quod igneum calorem in se habeat: quia quicquid deuorauerit, mox in uentre eius ita coctum inuenitur, sicut biscoctus panis. Hæc Albertus. Quibus sit hoc cognitum (teste Plin. loco supra allegato) experimentis, haud facile dixerim: multoq; memorabilius duxerim id, cuius experiendi quotidie occasio est: adeò humana calamitas (nunquàm in admirandis, & inuestigandis rebus satiabilis) causam multorum haud præstat, ut cogatur his, quæ oculis coram conspiciuntur, etiam absque aliqua ratione dare fidem. Sed hic quoque piscis inutilis hominibus est ad esum. Est præterea in littoribus Noruagicis

Xx 2 uermis

notent Principes, ne effœminatos, uti prius dictum est, ad bella educant, quia nihil ualent in prœlio. Dicunt etiam Plin. & Alber. lib. 24. de animal. quod nullum atrocius animal in aquis ad conficiendum hominem naufragum, urinantem, aut natantem: sed si inuertatur, elanguescit uis. Reliqua autem huius beluæ exercitia uideantur apud Plin. lib. 9. cap. 30. & lib. 32. cap. ultimo. Similiter et apud Alber. lib. 24. de animal. tractatu 1. cap. 4. Huic etiam polypo testudo Indiana assimilatur: quæ cum sit longitudine octo cubitorum, & latitudine quatuor, homines tres uel plures inuadere audet, sed resupinata super latum dorsum nil potest.

De crudelitate quorundam Piscium, & aliorum benignitate.

C A P. XXXV.



Homo apparet hic natans in aquis falsis, quem piscis de genere canicularum marinarum Boloma Italice, & Haafick Noruagice dictus, adeo auide turmatimque ex insidijs adonitur, ut non tantum morsu, sed pondere etiam in profundum demergat, deuoretque teneriora membra, nares uidelicet, digitos, & genitalia: donec superueniat raia, ut iniuriarum uindex, quæ per aquas armata naturalibus pinnis discurret, ac quodam impetu demersi hominis grauiatores abigit, eumque ut enaret, pro uiribus urget: eatenus quoque eum custodit, quatenus spiritu penitus extincto post aliquot dies dum mare naturaliter se purgat, sursum teratur. Dicit Alber. lib. 24. de animal. delphinos in aquam proiectum etiam mortuum uel natantem hominem dorso suo suscipere, ac saluum in litus portare, si odore talem hominem carnes delphini deprehenderint non comedisse ubi uero hoc ab eo factum exploratum habuerint, si modo praesentes sint, mox deuoratur ab eis. Cernitur illud miserabile spectaculum in Noruagicis oris, quando lauandi gratia homines, exotici uidelicet nauis periculis & insidiarum ignari, è nauibus in undas exiliunt. Latant enim caniculæ, siue bolomæ huiusmodi sub nauibus in anchoris manentibus, uelut aquatici arietes (de quibus supra dictum est) ut homines rapiant naturæ malitia stimulante. Veruntamen hoc periculum urinatores stylis præcutis lineis annexis euitant, quibus arietes marinos, & has caniculas interficiunt quia nisi his perfossi fuerint, haud recedunt. Ita sub aquis cum eis atrox oritur dimicatio. Inguina enim hominum, & calces, omnemque candorem corporum hæc beluæ appetunt. Huius caniculæ cutis in asperitate ad exponenda ligna & ossa, eadem naturam cum cute raiarum habet. Vtroque pisce uescuntur homines, licet unus crassiore carne sit altero, ut raia, quæ dentato ore, eoque amplo sub collo, & horribilibus oculis, ore difformi & liuido, non sine piscatorum periculo capitur. Habet enim amplissimas alas, quas cum hamo attrahitur, in transuersum mittit, sæpiusque ob suam magnitudinem piscatorem è nauis extrahit, nisi sociorum auxilio adiutus fuerit, uel seipsum (quod frequentius fieri solet)

tunc confirmauerit, uti superius eodem lib. dictum est de periculo piscatorum

cap. 2.

De Spon

pedes maxime cartilagineatos, & formatos ad modum pedis uaccae, aut uituli. Hoc animal natas in aqua spirat, & cum spiritum emittit, ad aerem redit, aquamque eicit in altum, ut delphini, & balenae. Apparet etiam huic aliud simile monstrum Circhos, iuxta Alber. aut Cricos dictum, habens cutem testaceam, mollem, partim nigram, partim rubeam, fissuras duas in pede, quarum tres digitos efficiunt. Pes dexter huius animalis ualde paruum, sinister uero magnus longusque: & ideo dum ambulat, totum corpus fert super sinistram, & alium post se trahit: aere sereno absolutum incedit, commoto autem uento, nubiloque coelo applicatur lapidibus, & immotum quiescit, ac fortiter adheret, ut uix auelli queat. Natura haec satis admiranda, quae sereno tempore sana, tempestuoso infirma inuenitur.

De Vacca, Vitulo, Equo, Lepore, &
Mure marino.

C A P. XXXIX.

Marina Vacca monstrum est magnum, robustum, iracundum, & iniuriosum. Medens partum sibi similem, sed non supra geminum, unum tamen saepius, quem plurimum diligens sollicitè secum ducit, quocunque tandem se per mare transmittit, aut in terra gressus dirigit: decem mensibus imprægnatur: demum hoc animal aliquando 130. annis per caudæ ipsius amputationem probatum est uixisse. Vitulus marinus superioribus capitulis pro parte naturæ suæ demonstratus est hoc uno præsentis loco adiecto, quod eo maior halecis deprædator inter aquatilia haud inueniatur. Accedit namque retia, in quibus halec secundum branchias, uel aliam partem corporis captum retinetur, unumque post aliud deuorat, ut paucum remaneat dependens. Equus marinus inter Britanniam, & Noruegiam saepius uidetur, caput habens equinum, & hinnitum emittens: pedes autem fissos cum ungulis ad similitudinem uaccae, tam in mari, quam in terra pastum quærens. Raro capitur, licet ad magnitudinem bouis deueniat. Caudam denique, ut piscis, bifurcata habet. Mus marinus in terra scrobe effossa parit oua, et rursus obruit terra. Tricesimo die refossa aperit, foetumque ad mare producit, primo caecum, & deinde oculis illuminatum. Lepus marinus uarij generis esse in Oceano deprehenditur, sed captus mox ob suspicionem ueneni, quocunque saltem indicio lepori conueniat, dimittitur. Habet autem post caput quatuor pinnae: duas, quarum motus est secundum longitudinem piscis, & illae sunt longae sicut aures leporis: & duas, quarum motus est à dorso secundum uentris piscis profunditatem, quibus grauitatem capitis sui eleuat. Hic lepus in mari formidabilis, in terra uti lepusculus pauidus, timidusque reperitur. Habentur & longè plura piscium nomina, genera, & uirtutes apud Plin. lib. 32. ubi diuersarum aquarum & marium enumerat pisces: inter quos satis multa genera ex libro Ouidij adducit, quem in Ponto supremis suis temporibus meditatus est, titulum eidem De piscibus imponens. Hic tamen ob iniuriam temporum haud reperitur, licet satis auidè à plurimis studiosis desideretur. Centum septuaginta sex piscium genera, quæ in mari, ac fluminibus, lacubusque degant, ponit Plin. lib. præallegato cap. ultimo. Rursus lib. 9. cap. 14. piscium species septuaginta quatuor ponit, præter crustis intercepta, quæ sunt triginta.

De natura, tempore, & loco Piscium, quo
se ætate conferunt.

C A P. XL.

Ne autem prolixius insumatur augmentum in rebus forsitan omnibus haud obscuris, finaliter cum beato Ambrosio cap. 10. lib. 5. Hexamer. afferendum erit, unumquodque genus piscium præscripta sibi domicilia habere, quæ sui generis

XX 3 nullus

uermis glauci coloris, longitudine 40. cubitorum, & amplius, uix spissitudine infantis brachij habens: lineæ modo, ita ut eius progressus difficulter percipi queat, per mare se transmittit, nemini noxius, nisi humanis manibus pressus: unde contactu tenerrimæ cutis eius tangentes digiti intumescunt. Vexatus, & detentus à cancriis, tortuosum cursum euadendi gratia attentat: sed frustra. Cancer enim brachijs suis quasi denticulatis forcipibus, tum etiam pedibus ita eum stringit, ut non secus ac nauis anchora demissa, firmetur. Hunc uermem sæpius uidi, ab eius tactu nautarum informatione abstinens. Volater. tradit in uno flumine Aegypti uermes nasci septenum cubitorum, crassitudinem uix pueri decem annorum habentes. Aureum uellus est animal marinum de spongiarum genere, sed rarius, ac mollius ad modum lanæ. Lanugo eius in auri splendorem conuertitur: dilatatur et prolongatur sicut uellus, moueturq; dum est in mari, motu dilatationis & contractionis, quemadmodum spongia: noctu lucet ut igneus globus. Sturicus animal est marinum, medium inter plantam & animal, sicut stella, quinque angulos habens, rubei corij, & in medio rimas, quibus attrahit nutrimentum: nemoq; prouidus homo eo uescitur. Maxima eius multitudo est in littoribus Noruegiæ.

De Pisce, quem Noruegiani Suuamfysck appellant, maxima pinguedine eius, & alijs quibuldam
Monstris marinis.

CAP. XXXVIII.



Varietas horum piscium, siue potius monstrorum, hic inserta est, ob eorum mirabilem formam, ac multifariam naturæ proprietatem, cum littoribus Noruegiæ inter alias beluas sæpius appropinquant: capiunturq; propter pinguedinem, quam habent copiosam, ac abundantem. Eam namq; piscatores, ut carnes, supra ignem coquendo expurgant, uenduntq; ad usum corij inungendi, aut causa luminis in lampadibus, cum tenebræ continuæ fuerint, conseruandi. Occurrit igitur in primis rotunda forma monstrum, Noruegico idiomate Suuamfysck dictum, quod Albert. lib. 24. de animal. Hahanc siue Ahu-num appellat, ceteris omnibus marinis beluis animal gulosius: continua etiam præda uix satiatur, stomachum distinctum non habere dicitur: unde quicquid comedit, uertitur in sui corporis crassitudinem, ut nil aliud uideri possit, quam una massa pinguedinis adunata. Dilatatur & extēditur supra modum: cumq; amplius extēdi nequeat, pisces per os facile eijcit, quoniam, ut ceteri pisces, collo caret. Os eius continuatum est uentri. Est autem adeo crassum hoc animal, quod urgente periculo carnem, pinguedinem, & pellem suam, uti hericius, super caput reduplicet, & contrahendo se caput abscondat: neq; id sine sui detrimento facit, quia inimicas bestias timens, fame urgente se non aperit, sed esu carnum suarum sustentatur, magis eligens in parte consumi, quam à beluis totaliter deprædandum uorari. Scrutatur tamen ut saluetur, si periculum est sublatum. Ita hippopotamus piscis Nili fluminis (teste Solino cap. 45.) inter arundines uulnerat pedes, ut proflusio sanguinis leuet saginam. Est & aliud monstrum marinum secundum Alber. lib. 24. de animal. Cahab dictum, pedes paruos habens respectu magnitudinis corporis sui: unum tamen longum, quo loco manus utitur in omnibus membris suis defendendis: & per ipsum ori suo cibum porrigit, herbasq; eradicat. Habet autem pedes

videas, nec moueri: aliquandiu enim immobilem seruat. An & huic quis putet sine creatoris munere tantum potuisse suppetere uirtutis: Quid gladijs, ferris, canibus marinis, & balenis tribuendum est: quarum magnitudo (ut idem Ambrosius hoc lib. cap. II. testatur) tanta est, ut si quando supernatent fluctibus, insulae annatae putentur, montesque altissimi summis ad coelum uerticibus eminere. Hae balenae non in acta, nec in littoribus, sed in Atlantici maris profundo feruntur uideri, ut eorum conspectu nautes a nauigandi in illis locis praesumptione reuocentur, nec secreta elementorum adire supremae mortis terrore usurpent, prout superioribus aliquot capitulis praesentis lib. 21. fuerat declaratum.

De clementia Piscium erga Homines.

CAP. XLII.

ETSI superioribus capitulis plurima ostensa sunt de magna pietate, quam beluae, seu monstra marina demonstrant afflictis naufragantibus, ne pereant: tamen indytae adhuc eorum uirtutes reputantur, quibus ipsis hominibus in aquis profunt, quando a terrarum incolis uel deseruntur, uel crudeliter moribundi eiciuntur: prout euidentis exemplum praedictus autor de Iona adducit, quem cetus excepit ad uitam, reddidit ad prophetandi gratiam: emendauit aqua, quem terrena deflexerat: psallebat in utero ceti, qui moerebat in terris. Et ut utriusque redemptio non praetereatur elementi, terrarum salus in mari ante praecessit, quia signum filij hominis, signum Ioniae. Sicut iste in utero ceti, sic IESVS in corde terre. In utroque remedium, maius tamen in mari pietatis exemplum: quoniam exceperunt pisces, quem homines refutarunt: & quem homines crucifixerunt, pisces seruauerunt. Petrus quoque in mari titubabat, sed non labebatur: & confessus in fluctibus, negauit in terris. Itaque illic quasi deuotus manu apprehenditur, hic quasi oblitus aspectus censorio conuenitur. Hec Ambrosius. Qualis etiam clementia animalium terrestrium, auium, & aquatilium praedictorum erga homines exerceatur, in pluribus capitulis superius est relatum.

De magnitudine Noruagici Serpentis, & aliorum.

CAP. XLIII.



QVI naualibus exercitijs in littoribus Noruegiae, uel mercaturae, uel piscaturae operam nauant, conformi testimonio stupendam sane rem asserunt, serpentem uidelicet uastae molis, ducentorum pedum & amplius longitudine, ac triginti pedum spissitudine, in rupibus & cauernis penes oras maris Bergenlium uersari: qui uitulos, agnos, porcos uoraturus, ab antris solum lucido noctis tempore in estate exit, uel polypos, locustas, & genera marinarum cancrorum ut deglutiat, maria transmittit. A collo deinceps dependentes pilos cubitalis longitudinis habet, squamasque acutas, atro colore, & flammeos oculos rutilantes. Hic nauigia infestat, hominesque se in sublime instar columnae erigens rapit, ac deuorat: neque id sine portentoso spectaculo regni, instante mutatione, euenire solet, nempe quod Principes in fatum concedent, uel in exilium turbabuntur, aut bellicus tumultus euestigio subsequetur. Est & alius mirae magnitudinis serpens in insula Moos dicta, dioecesis Hammerensis: qui ut comera orbi reliquo, sic is regni Noruegiae mutationem portendit,

Xx 4

prout

nullus excedat, non incurset alienus, ita ut hoc genus piscium in illo sinu maris alatur, & gignatur, illud in alio, nec confusum reperiatur, sed quod in uno loco abundet, alibi desit. Hic enim sinus maris cephalos alit, lupos ille: ille saxatiles, locustas alius. Non est libera uagandi potestas, nec tamen interclusa montibus copia, aut fluuijs interlabentibus transitus impeditur: sed usus naturæ impressus, tanquam patriæ finibus unumquemque se retinere, & ultra incolas prodire suspectum. Sed homines potentes, quibus mare non sufficit, diuidunt sibi elementa, faciunt uiuaria atque apothecas ostrearum, ut conuiuia escarum numero instruant, quando mare non possit implere. Sunt tamen aliqua genera piscium, qui non ingenij facilitate loca mutant, sed fouendi partus necessitate: quæ opportuno atque legitimo procurantes tempore, ex plurimis locis à diuerso sinu maris innumeri uelut communi consilio conuenientes, coniuncto agmine Aquilonis flatus petunt: & ad illud Septentrionalium mare partium quadam naturæ lege contendunt. Deinde: Quid autem rationabilius hoc piscium transitu, cuius rationem quidem uerbis non explicant, sed factis loquuntur? Pergunt enim æstatis tempore ad fretum Ponti, eò quod reliquo maris sinu hic sinus dulcior sit. Postea: Quis autem ignorat, quod etiam ea quæ marina sunt, aquis plerumque dulcibus delectentur? Denique dum flumina sequuntur, & ad superiora ascendunt, frequenter alieni generis pisces capiuntur in fluuijs. Cum hæc igitur causa Pontum illis faciat gratiorem, uel quod æstus temperet solennis illic flatus Aquilonis, tum opportuniorem ceteris iudicant, in quo generare, & partus possint proprios opportuniore enutrire: quod teneri foetus rigorem (laborem habet textus) alienæ regionis sufferre uix possint, quos illic fouet æris blanda ac benigna clementia. Itaque peracto munere, omnes simul eo, quo uenerant, agmine reuertuntur. Huius enim Ponti sinus Boreæ obiecti amœnitate perfructi, rursus hyemis aspera declinare contendunt, & Septentrionalis plage sæua fugientes, in reliquos se sinus conferunt, in quibus aut uentorum mollior sit placiditas, aut solis soleat uernare tēperies. Nouit igitur piscis pariendi tempus: nouit tēpus eundi, atque redeundi: nouit tēpus perfunctionis, & iactationis: & nouit ut non queat falli: quia nō rationis estimatione, & disputationis argumēto utitur, sed inspiratione naturæ, quæ uera est magistra pietatis. Hæc Ambrosius

De pulchra comparatione naturæ Piscium,
& Hominum.

C A P. X L I

DEnique (teste Ambrosio in supra allegato cap.) omnes animantes præscripta habent pariendi tempora, homo solus indiscreta atque confusa. Reliqua genera clementiam temporis querunt, mulieres sole partus suos inclementer effundunt. Vaga enim & intemperans libido generandi, uagam pariendi ætatem exhibet. Pisces tanta maria transmittunt, ut utilitatem aliquam generi suo quærant: nos quoque diffusa æquora transfretamus. Sed quanto honestius quod successione amore, quam quod pecuniæ auaritia suscipitur? Denique illis ad pietatem, hominibus ad quæstum transmissio deputatur: illi sobolem præferunt omnibus mercibus chariorem, homines mercem longè imparem ad periculi uicem misera lucri cupidine reportant. Itaque illi patriam repetunt, homines derelinquunt: illis nando incrementum generis acquiritur, hominibus minuitur nauigando. Quis igitur neget diuinitus illis infusum ingenium esse huiusmodi, atque uirtutem? cum uideat istos in Aquilonem tam solennem obeundæ fecunditatis peregrinationem uiuaci ingenio componere, alios in exiguo corpore tantum ualiditatis assumere, ut maximas naues plenis currentes uelis, in medijs fluctibus sistant: sicut breuis pisciculus echeneis (de quo superius eodem lib. cap. 32 & 33. dictum est) tanta facilitate memoratur nauem ingentem sistere, ut quasi radicam mari hære uideas,

prout uisus est anno M.D.XXII. altè super aquas se extollēs, atq; in modum sphære conuoluens. Existimatus est hic serpens coniectura collecta ex longinquo uisu quinquaginta fuisse cubitorum: quem expulsio Regis Christierni, atq; grauis Prælatorum persecutio secuta est: imò excidium patriæ demonstrauit, ueluti Isidorus dicit de auibus Diomedis. De quibus refert Solinus cap. 8. quod inter aduenas iudicent: si Græcus sit, propius accedant, & quantum intelligi datur, uelut ciui blandius adulentur: si uerò quis gentis alterius fuerit, inuolare eum, atq; impugnare. Quæ ob hoc feruntur Diomedis socij facti, quòd eodem sacram omni die huiusmodi studio celebrent: Aquis imbuunt plumas, alisq; impendio madefactis confluunt rorulentæ, ita ædem excusso humore purificant, tunc pennulis superplaudunt, inde discedunt, quasi peracta religione. Hæc Solinus. Philosophatur præterea Albertus lib. 25. de animal. in principio, de serpentibus asserens, falsam eorum esse opinionem qui dicunt omnes serpentes esse frigidos per naturam suæ complexionis. Deinde ponit duas causas longitudinis, uel breuitatis eorum: quarum una est naturalis habitudo, quæ in omni animali ex specie cõstituitur, eò quod omnium natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & naturalis augmenti. Alia uerò est cibus & locus, calidus uel frigidus, minus uel maius extendens humidum uiscosum, quod est materia generationis eorum. Ponit idem Alber. serpentem Haren, siue Aren dictum, similem serpenti, siue draconi, qui Caren ab eo appellatur, longitudine sex cubitorum. Dicit etiam Plinius lib. 8. cap. 14. de magnitudine serpentum in hunc modum: Nota est in Punicis bellis ad flumen Bagradam à Regulo Imperatore ballistis tormentisq; ut oppidum aliquod, expugnata serpens, centum uiginti pedum longitudinis. Pellis eius, maxillæq; usq; ad bellum Numantinum durauere Romæ in templo: quod & Liuius, ac reliqui classici historici attestantur. Deinde eodem loco inquit, fidem his facere, quæ in Italia boæ appellantur: in tantam amplitudinem exeuntes, ut diuo Claudio Principe occisæ in Vaticano solidus in aluo aspectatus sit infans. Hæc primū bubuli lactis succo aluntur: unde etiam nomen traxere, quemadmodum & Isidorus refert.

Adhuc de magnitudine Serpentum.

C A P. XLIIII.

Asserit etiam Alber. lib. 25. dracones omnes corpore esse ualde magnos, & ut plurimum triginta cubitorum, qui tamen libentius in frigore, quam calore uiuunt. Præterea asserit lacertam apud Indos longitudine 24. pedum, quod & Plin. lib. 8. cap. 39. testatur: etiam in Hispania magnitudine cruris humani sub genu inueniri. Solinus etiam cap. 45. tantam enormitatem serpentum adducit, ut ceruos, & animantium alia ad parem molem tota hauriant: quinetiam Oceanum Indicum, quantus est, penetrant, insulasq; magno spatio à continenti separatas, pabulandi petant gratia. Idq; ipsum palam est, potentia amplissimæ magnitudinis fieri, ut per tantam salititudinem ad loca permeent destinata. Etiam hydri secundum Plin. lib. 6. cap. 23. in mari longitudine uicenum cubitorum. Volater. lib. 12. cap. De locis nuper repertis, allegat serpentes mille passuum longitudine, qui certo anni tempore armenta, & pastores ipsos totaliter deuorant. Strabo lib. 16. allegat Possidonium scribere, in Macra campo fuisse uisum serpentem mortuum iugeris longitudine, & crassitudine tanta, ut equites ex utraq; parte astantes, seinuicem intueri non possent: hiatu autem tanto, ut hominem equo insidentem reciperet, exuuiarum squamam quamlibet clypeo maiorem. Deniq; S. Donatus Episcopus spuit in os draconis, eumq; interfecit, quem octo iuga bouum ad cremandum uix trahere potuerunt. Hic draco (teste Zozomeno) in uia publica circa pontem iacebat, caprasq; oues, equos, boues, & homines deuorabat.

De diuer-

De diuersitate, ac colore uario Serpentum.

CAP XLV.



Arbitrantur plurimi in solis regionibus calidis habitare serpentes, ob conatam frigiditatem eisdem animalibus inhaerentem, tum quod calore magis multiplicentur, ac citius incrementum suscipiant: sed reuera frigida illa Europæ pars in Septentrione etiam pessimos habet, et enutrit serpentes, licet quoad naturam ueneni debiliores, quam sint Africani. Et quamuis constanter asserat Plin. in præfatione 7. lib. historiæ suæ, naturaliter serpentem in genus iustum non taxire: tamen in littoribus Aquilonarium fluuiorum haud rarum est spectaculum, cernere serpentes acerbissime sese moribus petentes: sicuti stellationes in Italia contra scorpiones, & enhydri iuxta Solinum cap. 45. aduersus crocodilos Aegyptiacos, parum in naturali malitia à seinuicem discrepantes, continuo pugnant. Vt cunq; se habeat huiusmodi certamen, certum est plures, & noxios esse serpentes in frigidissima plaga Septentrionis, terrestres scilicet, qui acrius aquaticos persequuntur: & hi in terris manent, ac diuersis nutrimentis minutarum herbarum, in quibus acriorem ueneni uim cognoscunt, auidius reficiuntur, maxime in locis montosis productarum: hiq; deteriores sunt in lædendo homines ueneno suo, quam littorales, aut riparij. Serpentes autem ieiuni, satiatissimi sunt crudeliores: ita & irati, ac prouocati. Coloribus diuersis distinguuntur, nigro scilicet, cinereo, arenaceo, candido, rubeo, uario, guttis deniq; distincto, de quorum genere est Sabrin, & similes: quorum morsus aperit omnes poros naturales aurium, oculorum, narium, ex quibus sanguis emanat, & aquosa sanies pauca ex membro corporis læso surgit, dolor in stomacho, constringitur anhelitus, oritur difficultas reddendi lotium: quam subsequitur spasmus. Remedijs uero contra hæc serpentum uenena utuntur Aquilonares, theriaca uidelicet Veneta, quæ ceteris omnibus præstantior reputari solet, ab exoticis mercatoribus in maxima quantitate ob questum terris illis importata. Nigri coloris serpentes, partim aquas, partim terras inhabitant, partim tubera in paludibus existentia, (Gothicè Tuuar dicta) partim rupes petrosas aquis contiguas. Hi serpentes de genere aquaticorum sunt, atque noxij existunt: inter quos & Berus serpens aquaticus locum habet, altutus, nequitiosus, & lethifer. Dicitur hunc coire cum murena: quod uidetur Alberto libro 25. fabulosum, licet beatus Ambrosius libro quinto Hexam. cap. 7. coitum illum attribuat uiperæ omnium adulterarum pessime. Cinerei coloris est aspis, & cristallus secundum Alber. alias cristalis, de genere uiperarum, longitudinis duorum cubitorum: qui morfu suo alienat sensum & rationem, caliginem oculis inducit, & spasmus mortificantem. Est & alius serpens cinerei coloris, Hemorrhoids dictus, unius cubiti, hominem morfu suo per sanguinis fluxum interficiens. Arenacei coloris serpentes sunt, de quorum genere est Ammodites, longitudine cubitalis, maculis nigris distinctus per corpus, supra dorsum habens uestigia linearum. Hic morfu suo uehementissimum dolorem cum tumore infert, unde uirus fluit, quod à tertio die in septimum usq; hominem necat. Sabrin serpens iuxta Alber. etiam arenosi coloris, cum punctis albis & nigris corpus distinctum habens, longitudine unius aut duorum cubitorum, naturamq; in morfu similem cum cerasæ, siue cornuta. Quomodo aut hominem interficiat, supra hoc capite demonstrauimus.

Adhuc

Adhuc de colore, & nominibus Serpentum.

CAP. XLVI.

Candidi ac uarij, de quorum genere est fabrin iam descriptus, & Alfordius, siue Affordius, similem naturam cum fabrin habens. Fului, ut pareas, ore lato, morsu maligno, sed plurimum ueloces, atque in cauda semper ambulant. Rubei omnibus alijs sunt peiores, ut in plurimum cubitalis longitudinis, imò & pedalis, ac semipedalis, ut Altinanti iuxta Alber. ex insidijs plus nocens. Citrini coloris est serpens cenchris, à colore milij sic dictus: eius morsus uti uiperæ uenenosus est. Serpentes aquas inhabitantes duri & asperi capitis sunt, multiplici specie distincti: de quorum numero est Berus supradictus. Item natrix à nando dictus, quòd in aqua quoq; uenenum spargat, cibosq; inficiat, ut si quis ex infectis quicquam gustauerit, illico moriatur. Item coluber secundum Plinium lib. 32. cap. 5. in aquis uiuit. Serpentes in rupibus morantes plerunque nigri sunt, quos uulgaris gentis idiomate Snock appellant, quamuis etiam ibidem uarij in magna multitudine reperiantur. Hi mortalibus in rupibus uersantibus, æstate præsertim, haud parum molesti sunt, cum etiam ueneno suo sæpe homines occidant. Antra incolentes lacertæ sunt, & hæ quoq; multiplices: sed non ita noxiæ, ut serpentes, attamen cauendæ sunt. Terram & aquam indifferenter inhabitant chelydrus & andrius. Chelydrus semper directus ambulat, quia si se multum torserit, dum currit, statim crepat. Andrius uerò secundum Alber. in aquis, campis, & syluis habitat, aspide minor, sed latioris capitis, surdus, deterior & nocentior cæteris, quia morsus eius inducit uertiginem, & uomitum cholerae foetida, ac debilitatem corporis, ut in hora moriatur læsus: & si tertiam horam superuixerit, ob fortem medicinam, & complexionem, tamen ulterior spes uitæ haud relinquitur. Scytale serpens est duplicis speciei: unus admiratione suæ pulchritudinis detinet insipientes, piger, paruus, & ignei ueneni, ita etiam quòd ille quem lædit, statim moriatur: atq; Slaa Gothice uocatur. Hic frigidissima hyeme pellem deponit, sicuti stupefaciens aspis, quæ pellem mutat. Hic etiam, ueluti alijs serpentes in hyeme latitantes, se recipiunt in uiscera terræ, à solis uidelicet ingressu in Libram, usque dum Arietis signum exeat: intra quem terminum si solis attractu antra exierit, atq; calore haud tempestiuo nimis diu delectatus fuerit, niue geluq; antrum constringente, moribundus extra illud relinquitur, prout superius de hirundinibus est specificatum. Alius (teste Isidoro) amphibæna dicitur, eò quòd duo capita habeat, unum in loco suo, alterum in cauda, currens ex utroq; capite tractu corporis circulato. Hic solus serpentium frigori se committit, primus omnium procedens.

De habitatione ac mansione Serpentum.

CAP. XLVII.

Videtur (licet rarò) mirum spectaculum in Aquilone, quomodo profundè sub radicibus arboris betulinæ manent serpentes: quorum multitudo suo afflatu calorem in radicibus excitat, ut folia huius arboris semper durante hyeme uiridia permaneant. Quocirca gens naturæ secreta ignorans, arborem sacram putat, quasi magno numini consecratam. Nec multum dissimile asserere uidetur Solinus cap. 40. in quadam Africæ gleba non sine miraculo lucum uirere undiq; secus agris arentibus. Hyeme tamen in cauatibus arboribus, uel rupibus serpentes latent, pro cibo somno utentes: alias in estate cibus eorū herbe, carnes, & aues sunt, quarum pennas & plumas postea euomunt: demū si possunt, lac, & uinum (quod secundum Plin. libro 10. cap. 72. præcipue appetunt) uel modicam aquam bibunt. Sunt & plures serpentū species, ut (iuxta Solinū cap. præallegato) quantus nominum

num tantus mortium numerus, tot uenena quot genera serpentum, tot perniciēs quot species, tot dolores quot colores (ut Isidorus dicit) habeantur: sed nulla infestiora, quā aspīdum genera, & rubea rarius apparentia. Veruntamen omnia genera, aut species serpentum in Septentrione enumeratas, Africa in multitudine, ac serpentibus uenenosis superat: de quibus Strabo lib. 15. multa & miranda dicit, & Solinus cap. iam citato. In Septentrione tempore ueris fricatione serpentes cutem exiunt inter saxa: quæ cutis inueterata adiuncta cera dentes celerrimè euellit. Plutarchus in lib. De aspidibus dicit Aegyptios pro delitijs unā cum pueris aspides educare, tantumq; mansuescere, ut uocati mensis assistant, pultes farina & melle confectas deuorantes: eorum Reges diadema aspidum figura ob imperij firmitatem portant. Opimatum dicunt naturæ scrutatores, præcipuè Alber. lib. 26. de animal. uermem uenenosum, qui cum serpente non uiribus, sed audacia & astutia pugnat, atq; eum adhærendo gutturi ipsius, mordendoq; sine intermissione uincit: unde etiam auelli haud poterit, donec eum interficiat. Idem facit uermis qui dicitur secundum Alber. spoliator colubri. Cornu ceruinum suffitum in abigendis serpentibus aptum, ut Volater. lib. 25. de ceruis commētatur, & Plin. lib. 28. cap. 9. Item euphorbia herba suo lacteo succo, quæ ob id miris laudibus celebratur, contra serpentes, & uenena iuuat, uti idem Plin. lib. 5. cap. primo in fine tradit. Quomodo deniq; locustæ, cum libet, serpentes necent, ac occidant, faucibus eorum apprehensis mordicus, uideatur prædictus autor lib. 11. cap. 29.

De pugna pastorum contra Serpentes.

CAP. XLVIII.



Sunt & aspides in partibus Aquilonaribus scabrosa cute, dura siccitate, cinereo colore, oculis scintillantibus, longitudine trium uel quatuor cubitorum, ueneni acumine hominem interficientes ante horas quatuor, nisi remedijs opportunis occurratur, theriaca scilicet Veneta, aut alio cum ceruisia antiqua bibito, aut succo fraxini expresso, & epoto, uti Plin. lib. 16. cap. 13. docet, aut fursure more emplastri appposito. His remedijs pro se pastores, sed theriaca pro pecoribus inungendis cum sale in circuitu tumoris utuntur. Nam hi serpentes eleuati super pectus ad mediū cubitum incedunt, uenenumq; in magna quantitate, diuersissimo colore in gutture collectum in resistētem aut obuiū hominem expuunt, ac celerrimè sub antra & saxa fugiēdo se recipiunt. Hoc autē ita esse meo ipsius exemplo comprobare queo, quia ante L. annos is casus in Arosiensibus pratis mihi accidit, dum more scholarium in medio Augusti collecturus eram grana iuniperorum, quæ tunc primum in Aquilone maturescunt. Sunt etiam serpentes, qui arcuato, seu rotato cursu uelociter mouentur, decem pedes saltādo: & insuper pugnant, strepitum uehementē inter herbas sole siccatas facientes. Verum benignitate naturæ factū est, ut sonitu prodantur, quādo nocituri accurrunt. Venenum autem sic exputum, in uestem occurrentis multiplici colore distinctum descendit nec anguis posteaquā uenenu expuendi in hominem sibi audaciam assumpsit, apparet. Sūt etiā domestici seipētes, ut penates in Aquilonis extrema plaga reputati, qui lacte uaccino uel ouino nutriti, cum infantibus sub tectis ludūt & plerūq; in cunis, ut fidī custodes, dormire uidentur: quos lædere pro piaculo existimatur. Sed hiritus reliquæ sunt ueterū superstitionū, omnino suscepta Catholica fide interditi. Si uerò fulgure uel domestico incēdio domus huiusmodi deletē aut peste grassante

grassante habitatoribus euacuata fuerint, remanent serpentes in antris exuste domus, tantoque agmine coalescunt, ut difficultatem nouo cultori pariant, quominus tute cum ipsis cohabitare possint. Cernuntur etiam serpentes innumerabiles sub quercubus in aestatis initio, ducem (cui candida crista ut corona eminet) tanquam apes suum rectorem, sequentes. Creduntur ueterum relatione lapidem flatu suo gignere, ex aliqua uenenata particula eo in loco, ubi manent, inter folia producta, uel reperta. Talium serpentum congregationem Solinus cap. 60. etiam meminit circa Caspias portas uersari: qui undique gentium conueniunt, a uerno statim die illuc confluunt, maximo impendio uiatorum, quibus omni tempore, praterquam hyeme, accessum ad istos populos negant. Terra tamen Aquilonaris, ubi fraxinea arbore abundat, uenenatis his bestiis caret: quod & Plin. loco supra allegato testatur quamuis idem autor eodem lib. cap. 34. hederam serpentum frigori esse amicam dicat. Favorabile denique uerbum Isidorus de natura serpentum profert, quod hominem nudum & dormientem nunquam laedant: idque mihi in pueritia & adolescentia serpentibus sine laesione sapissimè congreddienti contigit.

De Theriaca, ac alijs remedijs aduersus uenena.

C A P. XLIX.

Certum itaque relinquitur, serpentes euomere uirus exitiale, multiplici colore distinctum: quod eo nocentius est, quo grauius irritati per calorem illud eijciunt. Nec percutiunt, cum natura frigidi sunt, nisi quando calescunt. Nam quando frigidi sunt, nullum tangunt. Percussus itaque serpentum ueneno, primum obstupescit: deinde ubi ipsum uirus calefactum exarserit, statim hominem (nisi remedijs efficacibus occurratur) extinguit. Tale autem remedium theriaca prestat, quae est antidotum serpentinum, quo uenena (ab eo quod uenas necent, dicta) pelluntur, ut pestis peste soluat. Verum, ut aliqua eius compositio Aquilonaribus incolis innotescat, operae pretium duxi uerba Plinij lib. 20. cap. ultimo, praesentibus, donec aliud melius remedium contra uenena occurrat, inferere hoc modo: Recipe aduersus uenenata animalia serpilli duum denariorum pondus, opopanaeis & milij tantundem singulorum, trifolij pondus denarij, anethi & foeniculi seminis, & anisi, & ammi, & apij denariorum semim singulis generibus, erui farinae duodecim. Haec tusa cribrataque, uino quam possit excellenti digeruntur in pastillos, uictoriati pondere. Ex his singuli dantur ex uini mixti cyathis ternis. Haec theriacamagnus Antiochus Rex aduersus omnia uenena usus traditur. Haec Plinius. Quatenus autem talis compositio aduersus uenenum ualeat, an uero ea praestantior, meliorque esse possit, qualis sanitati celerrimè subueniatur, ne toxico praualente ueneno infectus succumbat, artis medicae periti in eius compositione dubio procul experientur. In Aquilone tamè contra pestem (licet raro grassantem) infallibile remedium cuiusdam electuarij apud plurimos suae sanitatis custodes habetur, quo nedum tempore pestis, sed & in cunctis aegritudinum principijs utuntur: atque ita fieri solet: Recipiatur aloës hepaticae, alias iecorariae lotae libra media benetusa, cinnamomi electi uncia media, mastice unc. med. cornu ceruini tosti unc. med. centaureae minoris unc. med. gentianae unc. med. dictami albi Cretici unc. med. lupini tosti, ut siliqua adimi queat, unc. med. Haec omnia seorsum in puluerem redigantur, & deinde simul commisceantur. Postea capiat mel quinq; librarum, quod bene super ignem in patella area despumetur, atque in eo, cum a feruore tepuerit, praedicti pulueres misceantur, inque modum pulmenti undique uoluantur. Hoc modo electuarium habebitur quod in auroa cum bono uino albo, ad quantitatem nucis auellanae sumptum omne uenenum, & pestiferum ab humano corpore sine ulla uiolentia expellit. Habet hoc electuarium alias miras operationes auertendi multas egritudines per facillimam purgationem, quocumque tem-
pore se-

pore securissime sumptum. Scio multos homines, nullis adhibitis medicis, hoc solo electuario per continuos sexaginta uel nonaginta annos, etiam in ultimam usque senectam, suam sanitatem conseruasse: inter quos diue memorie Iacobus Archiepiscopus Vpsalensis, qui ad centesimum etatis sue annum peruenit, ac M.D. XXII. uita functus est.

De Thrissa pisce nuper etiam in Prussia reperto.

C A P. L.

Aristoteles inter naturalium rerum indagatores facile principatum tenens; lib. 8. de animal. cap. 13. asserit, piscibus hanc ferè inesse naturam, quod præscripta sibi domicilia, ubi frequentius per naturalem quandam inclinationem morari soleant, non sine aliqua graui causa transgrediantur: tamen diuersa genera piscium, distincta maria, lacus, atque flumina, pro ratione temporis inhabitare, atque illa, tum pastus uberioris, tum uehementie caloris & frigoris, denique commodius fouendi foetus gratia, prout ille à natura inditus affectus dicat, aliquando permutare concedit. Deinde diuersa loca, tempora, atque nutrimenta, diuersos pisces producere, ita ut alij alijs in locis principatum obtineant, quemadmodum superius lib. 20. cap. ultimo relatum est, constanter affirmat: ut apud Cretam insulam gobiones pisces, omneque saxatile genus plurimum pinguescere: qui tamen alijs in locis aridi reperiuntur. Huic diui Ambrosii in 5. lib. Hexamer. cap. 10. sententia, quæ hoc lib. cap. 40. inserta est, astipulatur: tum etiam Plin. lib. 9. cap. 18. ad hunc locum pertinentia pulcherrima adducit. Quare etiam opere pretium me facturum esse iudicauit, si talem antehac inauditum casum, præsertim istis in oris ubi contigit, qui mihi per literas à quodam fide digno uiro, cum hic liber excuderetur, annuntiatum est, in fine huius libri, ad confirmandum horum summorum philosophorum opinionem, quæ uerissima est, adiungerem. Quandoquidem Itali in hunc usque diem se solos frui delicijs piscis cuiusdam sibi persuasum habent, quem communiter Thrissam, nostræ etatis Greci corruptè Phrissam, Romani Laccia appellant: quidam ex eo clupeam, cuius Plin. lib. 9. cap. 15. meminit, esse opinantur, quod id genus piscium Veneti etiamnum Chiepam nuncupent: talem etiam hoc anno in Prussia circa mare (ut uocant) recens, eo in loco, ubi in sinum Balthicum, seu Codanum iuxta Celtem, se exonerat, uidelicet circa castra Balge, & Lockstede ad ducem Prussie pertinentia, in maxima multitudine captum esse compertum habetur. Nam horum piscium, quos Pruteni Porpel appellant (nomen antea incognitum) piscator quidam duodecim millia & sexcentos, seu quod idem est, sexagenas (uti appellant) mille octingentas, mense Maio intra quatuordecim dies, præter alios pisces, quorum etiam haud parua copia erat, cepit. Non est igitur, quod in posterum Italia de hoc pisce, tanquam sibi soli à diuino numine concessio gloriatur, cum idem prorsus genus per Dei benignitatem alijs in oris quoque reperiuntur sit. Vnde Aristotelis, Plinij, ac diui Ambrosii sententia, pisces aliquando loca mutare firma permanet. Verum ad insecta transeamus, quoniam hæc immensæ subtilitatis animalia restant.